EPISTOLAE W. SCHICKARTI ET M. BERNEGGERI MUTUAE


Wilhelm Schickard,
Matthias Bernegger

Digitized by Google

S. Pl. & officia Paratiſſima.

CLariſſime & Excellentiſſime Vir. Mitto D. V. recentis Eclipſεως ☽, à Dno Kepplero, Amico meo honorando, Lintziis habitæ, exemplar hoc, ab Amanuenſi meo, malâ quidem picturâ, ſed meliori fide deſcriptum: Quod ut V. D. cum ſuis obſervatis haud gravatim conferat, & porro quoque ad D.D. Johannem Remum Quietanum, Seren.ſſimi Leopoldi Med. & Mathemat. illius copias tranſmittat, idem Kepplerus, & ego ipſius nomine

obnixè rogamus. Metuit ille ex hac Eclipſi quandam Rudolphini ſui calculi ruinam. Quod invitus audio! ſed forte errorculus aliquis in aſſumptarum ſtellarum locis latet: aut ſin illa ſunt juſta (id quod ex protocollo Tychonico, ſibi ab hæredibus concredito, facilè & ſolus omnium optimè dijudicabit) data fortaſſis non ſunt ſufficientia, nec ſatis ad tàm ſubtilis rei inquiſitionem accurata. Quid enim hoc eſt? Conſtituere ☽ Rectum ad certas fixas? Neſcitur adhuc-



dum præciſus ſitus, quandoquidem omnia ſemicircumferentiæ puncta ad diametri extremitaté ſunt recta. Sed cætera, præ aliis curis nondum examinaui. Differo in ocioſius tempus. Interim benè valeat V.D. meq; ſibi

ſibi benevolè commendatum habeat, atque temerariam, ad ignotum ſcribendi audaciam, non mihi ſed Kepplero roganti, & communibus ſtudiis imputet. Tubingæ d. 20. Februar. Anni 1620.

NB. Obſervatio Ecliptica.

S. P.

ITerum te alloquor, Clariſſime & Excellentiſſime vir, Domine Fautor plurimùm honorande; & quidem in cauſa Keppleri noſtri, qui bina hæc ſuæ in 4. lib. Aſtr. Copern. præfationis exempla, nobiſcum modò excuſa, Argentinam mittere juſſit, unum pro T. Excell.[a] alterum pro Gringalleto, cui inde porrò communicari poſſit. Fuit is nuper hic meus ultra octiduum hoſpes, ubi inter convivandum plurimam tui, non quidé ut aliàs abſentes ſolent, ſed quàm honorificentiſſimam feci-

nus mentionem. Hactenus verò Ratiſponam, ad Coniugem puerperam diſceſſit: dubius quando ſit reverſurus. Sed & à M. Johan. Schmidio Argent. SS. Theolog. Studioſo, amico meo, & in Chaldaicis Rabbinicisque ſtudiis Collegâ ſuaviſſimo, homine ab omni adulatione æquè ac ab immodeſtiâ alieniſſimo (at neſcio quo adverſo fato, certè præter culpam ſuam, malè à quibuſdam hîc habito, &c.) aliquoties & prolixè laudes tuas audivi, quibus de novo, amore tui inflammatus ſum. Quæſo igitur pro celebri humanitate tuâ, non neglige vilem Amiculum, ſed pro occaſione & otio (quod tamen à publicis functionibus rarum tibi eſſe audio) me ulteriori alloquio dignare. Cl. viro, Dño Welpero, amico meo veteri, cujus jucundè multoties recordor,

meam

meam ſalutem & officia nuncia, Interimque benè vale. Tubingæ poſtr. Cal. Martii. an. 1621.

Multam & officioſiſſimam ſalutem.

CLariſſime & Excellentiſſime Vir, Patrone plurimùm honorande. Ne Mütſchelinus vacuus ad te redeat, volui ei hanc ſchedulam & adiunctas chartas imponere, reliquas ſuo tempore ſubmiſſurus. Tardè procedunt operæ, in hac Hebr. L. ſtudioſorum raritate. Sed & Typothetæ, ad peregrina & inſueta iſthæc nauſeant. Quod ſi faciliorem apud vos Typographum, & venuſtiores typos ſcirem (hi enim ut vides obtuſi & inæquales ſunt) traderem ei Chaldaico Latina quædam excudenda: ut diſquiras, rogare non auſim. Si quis illorum, vel mihi vel meis illis diffideret, poſſet in exi-

guo libello ſententiarum Thalmudico Rabbinicarum, à me obiter è quotidiana lectione collectarũ, venditionis & ſumptuum reſtitutionis periculum facere. Si à Cl. Buxtorfio librum אלפסי meo nomine accepiſti, ut ipſe futurũ eſſe promiſit, quæſo cura ut per Mütſchelinum mihi tradatur. Kepplerus adhuc mecum deliteſcit. Procli hypotypoſes non eſt, ut ei mittas. Ego enim è mea Bibliotheca cõmunicavi, neſciebam, quod eas deſideret. Beſoldus & Lanſius, tui quotidiè memores, valent. Vale & tu Vir Præclariſſime, multis mihi nominibus colende. D. 23 Maii. 1621. Ignoſce tumultuariæ & furtivæ ſcriptioni.

S. P. D.

IMaginem Kepplero dicatam, unà cum literis tuis, Vir optime & præclariſſime, Dñe Fautor ſingulariter hono-

honorande, accepi, rogatuque tuo mox Dn. D. Lanſio tradidi; qui eam non pro genuinâ agnovit, prout id nec in Epigrammate ſubſcripto diſſimulat, ibi tamen Chalcographi lapſum ingenioſa fictione palliat. Sed & Ego, cum vivo, quem nunc iterum domi præſentem habeo, contuli; parumque congruentiæ deprehendo. Utut ſit; reperiet tamen hæc tabella nihilominus ſuos emptores, ſi non depicti ſtudio, at certè ingenua ſphalmatis confeſſione & argutâ excuſatione, quæ novi Exempli res omninò efficiet, ut curioſitas ſumptus citò reſtituat. Sed repentè avocatus plura jam non poſſum. Valè Vir Excellentiſſime, & in medio ſermone abrumpenti hac vice ignoſce. Compenſabo aliàs nimiâ loquacitate. 2. Maii. an. 1621.

Tubingæ.

Plurimam Salutem & officia paratiſſima.

CLariſſime & Excellentiſſime Vir, Dñe Fautor honorandiſſime. Exhibitor iſtarum M. Lucas Schickardus, SS. Theol. nobiſcum Studioſus, frater meus germanus, diu quidem celeberrimæ veſtræ Academiæ viſendæ ſingulari ſtudio flagravit, nunc verò auditâ incrementorum & privilegiorum eius novâ formâ, noviter ſtimulatus, veniam illuc abeundi à me petiit, & per occaſionem præſentium nundinarum omninò impetravit. Non igitur debui ipſum ſine meis ad te literis dimittere, Vir Excellentiſſime, Fautor ætatem colende, non quidem ut tuæ illum habitationi aut menſæ intruderem (jam enim, præter ſufficiens viaticum, abunde ipſi de his proviſum eſt, apud quendam Mercatorem Gallum,

lium, comitis ſui parentem, præterea ne paraſiticis hiſce artibus, vel importuno acceſſu cuiquam gravis ſit, ſerio ipſi iniunctum) ſed ut per te, ſi hoc rogare fas eſt, Urbis veſtræ ſplẽdorem, palatia, conſuetudines, & alia quæ viſu digna habetis plurima, præſertim verò, & cuius gratia iter ſuſcepit, Academiæ ſtatum, theatra, bibliothecam, auditoria, illorumq; ſplendidiſſima lumina, Clariſſimos Dominos Profeſſores, coràm cernere, mirari, & domum reverſus gratè nobis deprædicare poſſit. Quicquid hac in parte, deſiderio vel potius curioſitati explendæ, operarum & favoris præſtiterit Excell. T. id omne mihi exhibitum eſſe putabo; & quibuscunque aliis rationibus tenuitas mea poterit, compenſare laborabo. Idem à Dn. D. Fröhreiſenio, Amico & fautore meo, atque in Hebr. L.

 pri-

privato nuper diſcipulo, petii. Dn. Kepplerus ad aliquot dies hinc Stutgardiam receſſit: remitto autem ipſius nomine Proclum, cum ſumma gratiarum actione. A Dn. D. Lanſio, qui nunc me interpellat, multum & officioſè ſalutaris. Ita vale vir Cl. & me meosque fovere perge. Tubing. d. Iohan. B. 1621.

S. P.

QUid verò reddam Tibi, Præclariſſimè vir, Fautor maxime, pro tàm inſigni benevolentia, quâ fratrem meum complexus es? quam non non ſatis prædicare poteſt dignè! non habeo niſi meipſum, quem ſi alicuius pretii eſſe putas, tibi totum devoveo. Heu quàm anxiè verebar, ne tibi importuno acceſſu ſuo moleſtus eſſet, aut in menſa gravis! & tamen utrumque commiſſum eſt ab impudenti adoleſcente. Quæſo igno-

ignoſe ipſius audaciæ, nec mihi imputa. Fecit profectò contra expreſſam interminationem meam. Etjam de facinore ſibi quoque gratulatur, quaſi in tanti viri penitiorem familiaritatem intromiſſus. Sed & tardiori ſuo reditu veniâ meâ abuſus eſt. Cautius poſthac mercabor, neq; ulterius, niſi de modeſtia ipſius probè ſecurus aliquorſum dimittam.

Quod Kepplerum attinet, nondum ad me rediit, ajunt Francofurtum abiiſſe. An Argentinæ clam te latitârit, equidem ignoro. Si ſe abdidit, fecerit certè non amicitiæ tuæ tædio, quâ ipſi nil dulcius eſſe ſat ſcio; ſed fortè illiberali quodam pudore, quem ipſi deſperata Matris cauſa incuſſit, & præter me alii quoque in ipſo coram reprehendêre. Cumprimùm autem reverſus fuerit, expiſcabor illa, & fideliter commu-

nicabo. Memini ipſum aliquando ad menſam de iſtis mihi narraſſe, ſed quia non attentè auſcultanti, circumſtantiæ elapſæ ſunt, differo in aliam occaſionem; vel ob hoc ſolum, ut iterum te alloquendi prætextum habeam. Nunc vale, Vir ſupra modum humane, & me tuum eſſe patere. A Dn. D. Lanſio plurimum reſalutaris. Cuius coniunx jam ultra ſemeſtre muta, nunc peſſimè habet, proh dolor, & ipſum maritum ſympathia ferè enecat. denuò vale. Rapt. d. 11. Julii 1621.

Salutem & felices plurimos annos.

NIſi perſpecta eſſet mihi humanitas tua, Vir clariſſime, Fautor honorande, vererer, ne in exoſæ ingratitudinis ſuſpicionem apud te inciderem, qui pro tàm liberali dono Tubæ tuæ, adeò ſeras gratias ago: Et

& ago tantùm, nec habere poſſum. Certè ſubiraſcor tenuitati meæ, quæ par pari referre nequit. Hoc autem indubitato ſpera, etſi aliam remunerationem non recipias, recepturum tamen animum tui perpetuò gratè memorem. Quod Momos attinet, vehementer gaudeo illorum minaces conatus in fumos evanuiſſe, bonamque cauſam triumphaſſe: Macte mi Berneggere, perge lætis avibus, vel rectiùs auſpice Chriſto, & multa talia ſcribe, unde poſteritas diſcat, fuiſſe in medio iſthoc adulatorio ſeculo, qui ulcus tangerent, veritatemque liberè & cordatè profiterentur. Kepplerus noſter ſuperiori autumno domum reverſus eſt, incertus de ſalarii ſui continuatione. Mater ipſius abſoluta eſt, præter multorum expectationem; de quo Procuratori filio gratulatus ſum meritò. Lanſii uxorem piè defun-

ctam eſſe; forſitan aliundè ſcies. Luget eam etiamnum ſuperſtes maritus, & lugebit ſemper: adeò tenerè adamârat ipſam. Habet jam ſecum in viduâ domo ſenem Gruterum, ab Heidelbergâ exulem, ut tu Dn. Gothofredum, virum quem honorificâ famâ tantùm mihi notum, etiam facietenus noſſe optarem. Scripſi ad Jacobum Heidenium & Buxtorfium, ad quos quia alium niſi per te aditum non ſcio, obſecro ſume meâ causâ tantum occupationis, & per famulum cura, ut illa epiſtola ſuo Domino, hæc Mercatoribus Baſilienſibus tradatur. Nec moleſtè fer quæſo hanc audacem meam petitionem, quòd omnia tibi obtrudo; totiesque nugis meis fatigo. Parcerem omninò ſi ullam rationem aliam ſcirem. Si me amas, quod ſincerè credo, iniunge quæ-

cunque

cunque hîc nobiſcum habes curanda: ſenties me profectò in expeditione ut fidelem, ita promptiſſimum. Interim vale Amicorum maxime, accipe iterum fruſtillatim aliquot pagellas, quæ jam ultra trimeſtre impediuntur abſentiâ Typothetis illius, qui ſolus haſce literas coordinare novit, & vobiſcum hærere dicitur. Rotam à me ſculptam, unà cum declaratione dudum accepiſſe te puto. Sin minus; mittam denuò. Quamvis non ſit tuo conſpectu digna. Vale Vir Clariſſime. Datum Tubingæ, d. 25. Decemb. Anni ſeneſcentis 1621.

Salutem.

ETſi tacitè mecum voverim, Vir magnifice, Domine & Patrone colende, quòd te, dum ſummum Magiſtratum geris, variè occupatiſſimum, interpellare nolim; rumpere

tamen

tamen votum cogor impatientia diuturnioris ſilentii. Patere igitur, ut tribus verbulis ſignificem, quod adoleſcentem illum tua commendatione libenter ſuſceperim, aliquandiu in ædibus foverim, nunc verò optimo cuidam Hero inſinuarim; à quo aliquod victus ſubſidium habebit, quam diu ſe digne geret. Cæterum quæris, quid aliàs rerum agam? reſpondeo, me Arabicari, idq; potiſſimùm auſpiciis Dñi Gruteri, à quo Alcorani exemplar mutuò accepi. Aiunt & te unum poſſidere. Id coràm aliquando videre geſtirem, ſi cum vere pax rediret, ut, quod dudum decrevi, Argentinam exſpaciari poſſem. Interim in typorum defectu exſculpo hæc quæ cernis: editurus aliquod ſpecimen hac hyeme, ſi Deus ſiverit. Vale Vir Excellentiſſime. d. 13. Octobr. anni 1622. Tubingæ.

S.P.

S. P.

ANnos novos veteribus meliores, & omnia fauſta, Magnifice Vir, Domine & fautor ſingularis: Oſtendit mihi Dnus. compater meus D. Beſoldus literas tuas, & cum ſibi ad iter accincto non vacaret, juſſit ut ego paucis reſponderem, atque adiunctas diſputationes unà cum programmate mitterem. Quod facio, ſed breviter. Nam ipſe nunc ad alia trahor. Exoſculamur veſtram benevolentiam, & ſi fata olim ita ferent, gaudemus per Dn. D. Rümmelinum noſtrum veluti obſidem, arctius uniri vicinarum Academiarum amorem. Nil feſtinatu opus eſt, nec quiſquam noſtrum id impotentius ambit; ſed id ſaltem optaremus, ſi omninò iſthæc ſtatio, ſopitis horum temporum motibus, aliquando iterum redintegraretur, nec quiſquã

magis,

magis idoneus, vel quem fortè tacita aliorum vota expectant, præſtò ſit, is ei præficeretur, cujus pietatem & eruditionem abundè novimus. Interim hæ cogitationes noſtræ non ſunto prætoriæ, nec cuiquam præiudicanto, ſed utrinque arcanè habentor. Ampliſſimum Dn. Clutenium propediem quidem expectaramus; ſed audio ſepulturam ultra ſeſquimenſem denuò dilatam eſſe. In eius adventum cætera differo. Vale Vir excellentiſſime, Domine honorande. Tubingæ. d. Stephani, anni 1622.

Salve plurimum, Excellentiſſime Vir.

ORavit me heri Walliſerus, Ethices in Academiâ noſtrâ Profeſſor, ut hunc adoleſcentem ſtudioſum, N. Volmarum Argentoratenſem, de parentum & patronorum voluntate Tubingam iturum commendatiis

datiis inſtruerem. Ego verò nihil facio illubentius, quam ut alios commendem, tum quia non libenter decipio decipiorque (quorum utrumque ſæpè hîc uſu venit) tum etiam, quia aliis moleſtus eſſe nolo. cumprimis iis, qui ſine publici commodi morâ de talibus interpellari non poſſunt: quorum inter primos Te publica fama conſtituit. Addo, quod malè gratus fuero, ſi pro egregiis munuſculis, quæ ſubinde miſſitas, nihil reponam aliud, quam ut oneris aliquid imponam. Et ſanè, niſi me cum humanitas tua eximia, tum Dn. Walliſeri optimè de me meriti autoritas permoviſſet, nihil planè ſcripturus fueram. Audeo itaque Tibi, virorum eximiè, hunc adoleſcentem, quem excitati & alacris ingenii eſſe aliunde cognovi (ipſe non exploravi) commendare, ſed ea lege,

ut

ut non niſi, quoad citra moleſtiam & incommodum tuum potes, juves promoveasque. Præſtabit, ut ſpero, ſe gratum benevolentiâq; dignum. Accepi nuper meteorologicum tuum meletema, magnaque voluptate lectum, Doct. Habrechto, medico dedi, qui ſe ait idem ipſum vidiſſe meteoron, & aliquid de eo ſcripturum. Quicquid id erit, mittam. Aſtroscopii, ut & compendii linguæ Hebr. exemplum ut hic adoleſcens emat ære meo, mihique mittat, in mandatis habet. Nam quæ miſiſti pridem, alterum D. Schmidio dedi: alterũ cum amico neſcio quo communicatum, nondum recepi: nec recipiam, ut apparet. Ita ſolent iſti abuti oblivione meâ. Summorum virorum Gruteri & Beſoldi, quoties recordor (id fit quotidie) pudore ſuffundor ob omiſſum tam diu reſpon-

ſpondendi ad literas ipſorum officium, quo defungar tamen ad proximas Natalitias. Occupationes, leviculæ illæ quidem, at multæ, me mihi ipſi eripiunt: quibus tantò magis implicor, quantò magis explicare me conor. Quæ & cauſa eſt rarioris ad te ſcriptionis meæ: cujus benevolentiam in magna felicitatis parte pono. Velim iis, ut & Ampliſſimo D. Lanſio, niſi grave eſt, ex me ſalutem officioſiſſimam, cum erit occaſio, dicas. V. Argent. 7. Decembr. 1623.

S. P.

MUlta tibi debeo, vir Magne, Amicorum optimè merite, tam meo quam fratris nomine. Deprædicavit ille in ſuis è Genevâ, miram & imperſolubilem benevolentiam tuam, quâ non liberaliter tantùm ad cœnam vocare dignatus es; ſed quã omni-

omnibus lautitiis præferrem, humaniſſima converſatione beaſti. Rependat tibi DEUS omne bonum abundanter, & ſervet te nobis quam diutiſſimè. Porrò non deſiiſti etiam erga me munificus eſſe. Accepi enim ultimas tuas ad Cæſarem Suetonii, donum certè auro mihi contra carum: pro quo remitto priores pagellas nugarum mearum, quas veſter Dn. D Habrechtus mihi excuſſit. Suppeditavit is mihi obſervationum ſupplementa, quibus ipſemet dextrè uti neſciverat; & ego in immaturo priori ſchediaſmate deſtitutus, inſigniter errabam: nunc verò iiſdem adiutus, cum Antagoniſtæ, meum quoque lapſum detegere non erubeſco. Nec impedio, quo minus ipſi, cui familiariter notus eſſe videris, communices. Nam reliqua ante nundinas vix abſolventur,

tur, adeò aliis nunc obruti ſunt Typograpi, quamvis quotidiè urgeam. Excudunt enim mihi quoque nunc, quæ in Bechinath Happeruſchim deſiderabantur. Lanſius noſter viduitatem ſuam, ductâ virgine honeſtiſſima, nuper finivit, ut ex adjuncto Emblemate cernis. Perierunt mihi nudius tertius in repentino incendio hîc oborto, aliquot æneæ tabellæ, meâ manu recenter ſculptæ, quas impreſſori credideram, quarum jacturam ægrè fero. Vale Vir clariſſime. Tubing. prid. Biſſexti, quo nos in hoc Ducatu Matthię memoriam recolimus, contra Calendariographorum placita: Neſcio an & apud vos? Anni 1624.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

SAlve Vir Excellentiſſime, reverende Fautor. Tu verò me ſubinde beas miſſitatis illis divini ingenii tui

φιλοπονήμασι, quibus non habeo in hoc tempore, quod reponam, quanquã ſcio, gratias actas (ago verò maximas) itemq; affectum tui obſervantiſſimum ſtudioſiſſimumque, tibi vicem ἀντιδώρου ſufficientis eſſe. D. Habrechto, pro amicitiâ, quæ mihi cum eo vetus intercedit, oſtendi, quæ ad ipſum pertinent, una cum ipſis literis tuis, ne fortè me prævaricatorem putet, etſi malim non auſum tecum in campum deſcendere (nec feciſſet, ſi me prius audire voluiſſet) gaudeo tamen, hac occaſione tibi expreſſum illum librũ, quo nihil abſolutius in hoc genere unquam prodiiſſe puto. In cæteris tuis (ut Socratis de Heracliti libro verba mea faciam) quæ intellexi, egregia ſunt: credo, & quæ non intellexi, adeoque ſalivam illa mihi moverunt ac ingens deſiderium excitarunt Hebraica diſcendi.

Utinam

Utinam Jupiter aliquis præteritos annos mihi revocaret, aut de præſentibus decadem unam alteramq; detraheret! Felices, qui te iſthic doctore utuntur! In veteri, quam ante ſex ſeptem annos emi bibliothecâ, nactus etiam ſum Alcoranum Turcicum, quem librum etſi κλήσει meum manere, tamen χρήσει tuum eſſe cupio: & mittam, ſi quem idoneum hominem oſtenderis, qui ferat. Et prodromi vice hic libellus eſſe poteſt, qui, quo ſit argumento, quæſo me certiorem facito, & bono Reipub. literariæ diutiſſimè valeto. 3. Apr. 1624.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S.P.D.

QUas verò tibi grates reddam ſatis condignas, Amicorum optimè & meritiſſime, quod poſt tot benevolentiæ tuæ ſpecimina adjeciſti hoc luculentiſſimum, & me Arabici

libelli uſu fructu beaſti. Crede mihi, nil potuiſſes gratius communicare, talia ſtudia nunc unicè ſitienti. De ipſo exemplari ſecuriſſimum eſſe jubeo, tractabitur mundè, & ſuo tempore reddetur capitale cum largo cenſu. Quamvis enim de ordine ſphærarum, Eccentricitatibus, Epicyclis, Proſtaphæreſibus, planetarum evagationibus ad latera, lunæ illuminationibus, climatibus terræ, meridianæ lineæ per umbras inventione &c. nil dicat novum, quod non in Græcis & Latinis authoribus extet multò accuratius, juvat tamen & me vehementiſſimè delectat haſce Arabum tralationes inſpicere. Vel hoc ſolo nomine, ut terminos artis, quos ſuperioris ſeculi incuriâ habemus barbariſſimos, reſtituere aliquando, & de Aſtronomia pro tenuitate meâ benè mereri poſſim? Alkuranum

Kuranum quod attinet, comparavi dudum bina ejus exemplaria, alterum ex Auſtriâ tuâ, alterum ex Ungaria: quorum illud minutiſſimis characteribus exaratum in octavo, elegantius quidem eſt, ſed miſerè paſſim laceratum, & plus quartâ parte mancum: hoc verò in 4to integrum quidem, ſed ruſticè ſcriptum. Neutrum tamen verſiculos numerat. Quod ſi tuum quoque iis caret, videre non cupio: ſi autem rubras tales notas ع in textu, & in margine hos عشر decadum titulos habet, lubenter meos defectus inde ſupplerem.

Quæſo revolve, & ſi quid ſubſidii meis inde ſperas, hujus Tabellarii fidis manibus tutò concrede. Non ultra menſem ad ſumum detinebo, & gratus ſartum tectumque reſtituam. Monitus ſum à quodam pe-

rito, ne paginas poſthac allegarem, quippe quarum numeratio varia ſit & incerta, ſed verſus, quos meliora exemplaria habeant aſcriptos: itaq; vides mihi talia molienti, diſtributionem eorum cognitu omninò eſſe neceſſariam. Juſſerunt Academiæ noſtræ Patres dudum, ut pro feliciori hujus ſtudii plantatione Lexicon Raphelingii alicunde compararem, & bibliothecæ publicæ inferrem. Cum autem bibliopolæ noſtrates hoc in proximis Francofurtenſibus nundinis expediverint negligentius, cogor veſtrates, te internuncio, ni grave eſt, adire, obſecrans velis haud invitus apud Dn. Bokenhoferum vel alium inquirere, & ſi quod exemplar præſtò ſit, ſignificato precio per hunc mittere; ſolvetur ſtatim & gratè: de quo ego fidejubeo. Ignoſce quæſo impudentiæ meæ,

amo-

amoris πληροφορία me adeò facit confidentem. Cui etiam imputabis, quod adjunctum faſciculum tuo ſtudio Baſileam mitti peruelim. An Dn. Camerarius reſponderit neſcio, illud ſcio, quas ad ipſum dederis, maturè & probè curatas eſſe. Accipe nunc reliqua, quæ in Meteorologico diſcurſu deerant. Ais indignè ferre Dn. D. Habrechtum, quod duriuſculè acceptus videatur. Non opinor. Certè mihi ea mens non fuit, virum, quem propter hanc lituculam nihil minoris facio, laceſſere: ſed reſpondere provocanti, & eadem libertate, quâ ipſe prior in me uſus fuit, uti, quaſi talionis quodam jure. Si verè philoſophus eſt, qualem eſſe credo, mavolet à ridente corrigi quam à rixante. Deſino. Vale, reſalutatus à Beſoldo, p. t. Rectore & Mœſtlino. Cæteros enim
 ultra

ultra biduum non vidi. d. 10. Maii. anni 1624.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S. P. D.

VIr Excellent. fautorum meorum eximie. Mirificè me revocarunt vel obiter inſpectæ pagellæ reſiduæ operis tui, quas tabellarius rectè cũ litteris reddidit, cras per otium diligentius evolvam, & D Habrechto mittam. Quid ego cõtra? nil niſi gratias, ſed ingentes & ex animo profectas. Addo tamen & Alcoranum meum, quem ſpero tibi uſui nonnulli futurum: Sin, oro, ſaltem ut ne graveris in ordinem diſiectas (ut videtur) pagellas reſtituere, quidq; deſit, monere, & (vide quanta ſit fiducia de benevolentia in me tuâ) etiam curare, ut ductu tuo bibliopegus aliquis compacturam valdè luxatam reſtauret, & ſarciat, idque ære

meo.

meo, quod tabellarius (ita rogavi) numerabit, à me bonâ fide reſtituendum. Cumque mihi propter imperitiam iſtius linguæ, liber uſui eſſe non poſſit; non recuſo, ſi emptorem nôris, pretio tolerabili, quod judicio & arbitrio tuo committam, cuicunque viſum fuerit, atque adeo tibi ipſi vendere: donaturus, niſi mihi Bibliotheca illa Spachiana, cujus pars liber eſt, nimis magno conſtitiſſet. veruntamen loco pecuniæ, libros aliquot bonos recepturus. Lexicon Arabicum unâ cum Grammaticâ, (nec enim ſeparatim veneunt) hic habes, ex bibliopoleo Eberhardi Zetzneri, qui unus librũ habuit: cæteri dudum vendiderunt: nec Francofurti ampliùs haberi poſſe dicunt. Pretium 7. fl. 3. bac. exigit & me Sponſore, ad occaſionem proximam expectat. Hæc in bibliopoleo

ſcripſi, cum literas tuas ad manum non haberem. Itaque ſi quid aliud in iis extat, ad quod reſponderi ſit operæ pretium, id proximè faciam, interim vale vir Magne, bono Reipubl. literariæ diutiſſimè proſperrimeque. Dabam Argentorati. 15. Maii. 1624.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Salutem & Officia.

ALkuranum tuum, Vir clariſſime, Domine & Amice plurimum honorande, pridem per noſtratem, ſed literas hác ipsâ demum horâ per veſtrum accepi Tabellarium, unà cum ſignificatione pretii librorum Arabicorum, quod Dn. Zetznero nunc mittunt Bibliothecæ Curatores: Tibi verò pro induſtria & comparandi curâ magnas agimus gratias, relaturi aliquando in pari vel ſimili, cum operam noſtram viciſſim requiſiveris.

ris. Cæterum Alcurani exemplar, verſus (æquè ut mea duo) non aſcriptos habet, ſed characteris elegantiâ omnia quæcunque hactenus vidi, antecedit: quo nomine uſus eius mihi, pro correctione quorundam evanidorum locorum, utiliſſimus eſt & gratiſſimus. Diſcrepant etiam plerique Suretarum tituli à meis, quam varietatem aliquando, ſi DEUS ſiverit, cum honorificâ codicis tui mentione, publicitus excutiam. Hoc unum vehementer doleo, quod capite truncatum eſt, & ut ex collatione cum Gruteriano codice æſtimo, xxv. circiter folia deſunt. Reliqua, quæ mire trajecta erant, eiusdem integri exemplaris ſubſidio in ordinem redegi, & ne poſthac à quoquam disſlocari poſſint, debitâ ſerie compingi curabo, ſic tamen ut venerandæ veteris & exoticæ ligaturæ honori

nil derogetur. Prædicta 25. folia jam diutiſſimè defuiſſe oportet, quod inde colligo, quia quod nunc eſt initium, literas ſuas (procul dubio caſu quodam madefactas) in adverſo latere inſtar typi alicujus expreſſit, uti ex integumenti parte interiori cernes ipſemet, quando librum reddidero. Si vel pauciores deeſſent paginæ, vel mihi plus ocii ſupereſſet à cæteris curis, ſupplerem hunc defectum mea manu: Conabor tamen aliquid, gratitudinis cauſa, & ne tam preciosum librum abſque cenſu elocaſſe videaris. Vale, Vir optime, Dñ. & Fautor magne. Tub. d. ult. Maii. anni. 1624.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Salutem & feliciores annos.

VIr Clariſſime, Fautor Maxime. Si pauca ſcribere ſatius eſt quam prorſus tacere, veniam brevitatis me reper-

reperturum ſpero. Totam diem ſcribendis literis prodegi. Unde mirum non eſt, minui quod in tot fruſta ſecatur. Scribere juſſit Cl. Gruterus ſuis nuperis è Brettâ miſſis, & à Zetznerianis tuâ curâ petere ſuaſit folium E, ſuæ bibliothecæ Exulum, quod in donato exemplari meo, cum B permutatum erat. Redde igitur, quod mihi redundat, ne alteri deſit: & mihi viciſſim deficiens E compara. Nolim ipſe fatigeris, novi quot curis diſtinearis; ſed tantùm exhibitori hujus Süſſio ſignifices quorſum ſit abeundum. Is pro veteri conſuetudine noſtra curabit haud gravatim. Cæteroquin benè valet Gruterus, & ſi obſidio Bredenſis ex voto ſolvetur, Franekeram ad Friſios proficiſcetur. Interim deliteſcit apud generum, nec prius è fumo ad certiſſimam belli flammam

properabit. Frater meus ab autumno huc uſque, ut opinor, Londini agit in Angliâ. Quamvis neſciam quomodo transfretarit. Nam ultimas è Caleto accepi. Hic jam deſino, Excell. T. multa fauſta precatus, Rapt. Tub. prid. natal. DNI. 1624.

Mavth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

VIr Excellentiſſime. Ut pro ſumo, & mihi quodammodo (da veniam) oneroſo illo honore, quem dedicato jure tuo Regio Hebræorum habuiſti, publicè qualecunq; redhoſtimentũ extaret; auſus ſum tibi diſputati unculam quandam, quod in hoc tempoie nil aliud offerretur, inſcribere. Ejus exempla quædam hîc habes. Injuriam humaniſſimo & benigniſſimo Genio tuo facerem, ſi multis excuſarem hujus ἀντιδώρου tenuitatem: quam tamen inſuper alio munere

nere tibi gratiore non mihi penſare, viſum eſt. Nam Alcoranum meum, quem hactenus à me mutuum habuiſti, deinceps proprium ut habeas unaque libellum Aſtronomicum Arabicum, volo, jubeo. Aut tu, aut nullus alius dignus eo libro poſſeſſor eſt, qui applicabis uſui publico, apud me & alios periturum. Boni, quæſo, conſule & me quod facis, porro ama: viros Nobil. & Ampl. D. Beſoldum & D. Lanſium (à quo binas nuper, & alteras quidem pecunia onuſtas accepi) meis verbis obſervant. officioſeque ſaluta, & cum iiſdem optimè vale. 8. Maii. 1625.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Salutem per CHRISTVM.

BEnigniſſime Vir, (veriſſimo titulo liceat appellare, quo in me benigniorem alium non ſenſi) quid rei dicam, quod vili officiolo provocatus,

tus,

tus, ſtatim omnes gratias pleno horreo mihi admetiris? An præ amore ſatis ſanus es, qui tam pretioſum librum nihil merito non dubitas offerre!' prodigalitas hæc eſſet, tutoribus coercenda, non liberalitas. Itaque vereor accipere, qui nullo id ſervitio mereri poſſum. Sufficiat mihi abundè minor ille Aſtronomicus: hunc verò grandiorem liceat commodatò tantùm eouſque retinere, donec per ocium reliqua, quæ in manco exemplari meo deſunt, inde ſupplevero. Nam ut in Emblematibus claudum cœcus portat, ſic iſta utrinque mutila, defectus reciproce complent. Hæc in magnâ feſtinatione, die Wilhelmi, qui mihi per DEI benedictionem tertius eſt ſupra trigeſimum. Vale tu adhuc in duplum, Vir Eximie. Tubing. anni. 1625.

Wilh.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S. & Amica officia.

FAutor magne, Domine honorande! Ne Oſiander iſte ſine meis ad vos rediret, hoc unum feſtinanter volui, verſari Kepplerum jam ad Menſem in Wirtembergiâ, & me literis interim, ſed corpore nondum viſitaſſe. Si quid igitur ejus velis, jube ut ego exequar. Parat nunc vel tandem, diu promiſſas tabulas Rudolphi, ad quarum editionem ipſi calculatorem hîc inter ſtudioſos nanciſci debeo. Ait etiam inter cætera, perſtrinxiſſe me in ſuo hyperaſpiſte, quem nondum vidi. Item editurum quoq; Logarithmorum uſus. Neſcio an Religionis cauſa hactenus ſit à Cæſare appellatus? Hoc ſubodoror, renovaturum jus civitatis nobiſcum in Patriâ

Patriâ Leonbetgâ. Quorſum id ſpectet, facilè divinamus. Extremum rogo, ne graveris incluſas ad Süſſium curare. Valde præpoſterus ſum in meis meditatiunculis. Nunc dum iſta tractare debuiſſem, in longè alienis oberro, quo me ſtudiis pernitioſa curioſitas levi occaſione abduxit. Vale, Vir Clariſſime. rapt. 8. Junii anni. 1625.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S.P.D.

CLariſſime & Eixmie vir, Domine Fautor Opt. Max. Quod Keplerus, jam aliquandiu mecum agat, ex nuperis ipſius literis intellexiſſe puto. Is converſatione ſua occaſionem dedit, in menſuram priſci pedis Romani curioſius inquirendi, ob ſtadiorum rationem & innumera alia rectius percipienda. Quoniam verò W. Snellius in Eratoſthe-

æ ſecuta loco per oppor-
tuno ſum verſ Gringallèto.
Horo

Portæ, Arcis

Umbræ pedis

d ſiniſtr. rectus

cularis
verſus



a pedis à Lunæ margine
deorſum verſus ſiniſtrã
lus, quàm quantum ca-
rumentum, hoc eſt, plus
4. min.

— — — — — — — —

milior ſtella ad ſiniſtrã,
nus lunæ margo ad dex-

lter Teleſcopio ſtella in-
linea ex ſtella in lunam
it verſus dextram, craſſa
tione videbatur tendere
polum Eclipticæ.

toſthene ſuo illum cum pede & ulna veſtrate comparat., faceres gratiſſimum nobis ambobus, ſi utriuſque veram longitudinem, ſegmento ſolidioris nec humectatæ papyri expreſſam communicares. Suſpectum enim exemplum, quod in editione Speklini extat ob impreſſoriæ chartæ mutabilem quantitatem. Pes Romanus, quem Ill.mus Landgrafius Philippus Buzbacenſis, aſportatum Roma, mecum hoc vere clementer communicavit, & pro vero antiquo ibidem haberi ſignificavit; non videtur cum Snelliano congruere. Quæſo igitur & tuum de tanta varietate judicium aperi: quem verò propiorem exiſtimes? Porrò is qui hanc ſchedulam offert, M. Süſſius, longo uſu mihi notiſſimus, Tibi commendari exoptat, quoniam experitur, quantum poſſis & valeas. Id ſignificare

care tantùm volui, non rogare, quia omnibus bonis propenſiſſimum eſſe ſcio, & ipſe vel ſolo pietatis nomine favorem Dnn. Profeſſorum mereri videtur. De fratre meo, poſtquam è Caleſio Flandriæ ſolvit, nihil aliud hactenus. Heu quàm vereor, ne inconſideratus adoleſcens alicubi periclitetur! Sed DEO res concredenda, cui Te quoque Vir Excellentiſſime devotus commendo, etiam à Beſoldo & Kepplero ſalutatum. Rapt. Tubing. prid. Joh. B. Anni. 1625.

Wilh. Schickartus Matth. Bernеggero Salutem per CHRISTVM *& meliorem valetudinem.*

CLariſſime & Excellentiſſime Vir, Amice & Benefactor optime. Invitus te jam appello, quando dolore præpeditus, hiſce non vacas: & tamen Amici officium negligere nequeo,

queo, quod vel maximè in adverſis elucere debet. Admitte igitur hanc epiſtolam, à condolentiſſimo pectore profectam; & unà cum illâ, pia ſuſpiria mea pro reſtitutione tuæ valetudinis, quæ ad DEUM calido affectu jugiter effundo, nec omni pondere caritura ſpero. Recreavit enim me Amici languore mœſtiſſimum, veſter Ferberus, Vir clariſſim. quando me hodiè domi viſitare dignatus eſt, quamvis obiter tantùm & in tranſcurſu. Scripſit etiam D. Schmidius Medicos de tua convaleſcentia quotidiè melius ſperare. Utinam rediens tabellarius iſta confirmet amplius! & fiduciam meam corroboret, ut DEO gratias agere lætus poſſim. Cæterùm quid tibi rependam, quòd toties fratris mei literis fatigatus fuiſti? invitus equidem percepi, fuiſſe tuæ curæ obtruſas,

ſas, & id ne poſthac fiat cavi. Reverſus eſt ex Angliâ, & jam Lutetiis agit, nuper etiam (præter recidivam febrem) damnum in ſiniſtro crure paſſus acerbiſſimum, quando eum incauta hoſpita aquis fervidiſſimis perfuderat. Reddo tandem virgulam Cubimetricam, & Capelli tractatus, cum ſumma gratiarum actione. Profuit mihi veriſſimum pedem Pariſinum & Argentinenſem tranſſumpſiſſe, quoniam uterque, quem hactenus habui, ab his authenticis deficit. Sed de veteri Romano adhuc ambiguus ſum, neque Capello conſentio. Videor rationes habere multas, quod ipſi veſtrati propius conveniat. De quibus aliàs, quia ægrum jam hiſce fortaſſis ſupra vires oneravi. Vale Vir præclariſſime, Optimo Maximo DEO à me devotiſſime commendatus: Et accipe vilem

lem hunc cenſum ex Alcorano Tuo. Cætera quæ tam tardè abſoluta ſunt, tradet M. Süſſius meo juſſu, niſi fortè jam tradidit. Tubingæ. d. 29. Aug. 1625.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S. P. D.

REddidit mihi hodie Süſſius noſter cum libro & regula cubimetrica mea, tuam epiſtolam, tuamque Paradyſum: de qua gratias ingentes ago. Legi eam, ut omnia tua, magna cum voluptate, ſic, ut dolorum, quos morbus jam bimeſtris parit, non exiguum levamen illa lectio videretur adferre. Hactenus enim ex ægritudine ſane quam aſperrima reſpiravi, ut ſubinde aliquid legere vel legentes alios audire poſſim. Scribere nihil dum poſſum; ſi quæ tamen neceſſaria ſignificatu ſunt, vicariâ pueri mei manu uti ſoleo: ex quo genere hæc etiam epiſtola eſt;

eſt ; quam non obtruderem, niſi quid occurriſſet, quod ex te quam primum cognoſcere vehementiſſimè cuperem. Nuper obiit, quod audiviſſe te puto, noſter Profeſſor Hebraicus, vir optimus diligentiſſimusque: qui cum cetera diligentia ſua, tum inſtitutis exercitiis publicis, ita profeſſionem illam ornavit, ut ei ſuccedere onerosum ſit futurum iis quidem è noſtratibus, qui vagis ſtudioſorum aliorumque ſermonibus huic profeſſioni deſtinantur. Audio vero, Magiſtratum noſtrum ampliſſimum expetere, ut hac in parte nihil de Academiæ noſtræ laude ac celebritate decedat : proindeque conſtituiſſe, ſi quem idoneum nanciſci poſſet, ſtipendio multo quam fuit ante lautiore conducere, & forſan aliunde petiturum eſſe, quod domi vix reperiet. Quid

ſi jam

ſi jam tale Palladiũ Tubingâ transferre conaremur, anne permitteretis, ſi, inquam, ad nos honorifice vocareris, veniresne? Quæſo te, fac ut ſciam, quid animi tibi ſit, quid nobis ſpei eſſe poſſit. Publice nihil juſſus ſum ſcribere. Si tamen de voluntate tua cognoſcerem, non omitterem eos, quos oportet, ad id faciendum, per literas, per internuncios, quando coram non licet, cohortari. Plura dictare per valetudinem non poſſum. Proxima occaſione plura. Interim obnixe rogo, ut hæc ipſa, ſub ſilentii fide ſcripta, in ſecreto teneas, ne patiaris quemquam noſtratium, imo nec veſtratium, hujus argumentum epiſtolæ reſciſcere. Vale Arg. 2. Septemb. 1625.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Salutem per Salvatorem & proſperiorem valetudinem.

LIteræ tuæ in lecto dictatæ, magni amoris argumentum mihi ſunt, non tàm quod æger etiam mei memineris, quàm quod propius tibi cohabitare optas. Optarem & ego illud reciprocè, ac præcipuæ felicitatis loco numerarem, tibi quotidie converſari poſſe, & amore tuo inebriari, adeoq́ue ipſum mori inter amplexus tuos mihi triſte non foret. Sed repugnat ſtatus mei conditio, ut loco movear: nec ſolet Princeps meus nutritius, obligatione ſua quenquam ſolvere, quamvis interdum ad extraneos dimittat. Me autem cum primum huc vocaret, ſpecialiter ad Mathemata deſtinavit, ut olim cum DEO viſum fuerit, Mœſtlino ſuccederem. Eâ ſpe interim vitam

tam tolero. Inciderunt tamen hactenus aliæ occaſiones, mei fortaſſis ad Theologiam promovendi, (ſtatione adhucdum vacante) ad quæ ſtudia propenſior eſſem, quia illis olim initiatus eram, tum quia pulchrum videretur ejus cum Hebraiſmo connubium, nec inſolens poſt Giſſenſe exemplum. Hæc breviter & in aurem reſpondere volui, rogans viciſſim ut clam habeas, quomodo & ego tua, nec quid aliud moliaris. Ita convaleſce Vir C. & pro iſthoc honore (me quidem ampliori) perpetuas gratias habe. Scr. Tubing. D.14. Sept. anni 1625.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S.P.D.

PRincipio immortali Deo gratias ago, qui te Vir Clariſſime, Amicorum Optime Maxime, eouſq; reſtituere dignatus eſt, ut etiam pro-

pria manu literas iterum ſcribas. Faxit Idem clementiſſimè, ne ulla recidiva te mihi amplius excruciet. Tum verò Tibi ipſi pro donato libro non minores deberi fateor. Fuit is mihi lectu gratiſſimus, ut omnia Tua. Statim Rev. Dn. Acad. noſtræ Cancellarium propoſiti tui certiorem feci, qui & ſummè probavit, & opus, quantum per valetudinem poſſis, maturare rogavit. Mittit is, ni fallor, ſuum de Obitu Vergerii teſtimonium. Miramur eſſe homines uſque adeò impudentes, qui publicum hoc epitaphium, à Principe poſitum, nec hactenus à quoquam in dubium unquam vocatum, allatrare auſint. Dn. Beſoldus noſter de hoc ſententiã ſuam rogatus (ut in talibus eſt cautiſſimus) reſpondit: apud noſtros refutatione tàm craſſæ fabulæ nil opus eſſe; apud adverſarios, quibus

bus hæc oracula ſint, nil profici. Eſſe tamen omninò pergendum, poſtquam in hanc arenam ſemel deſcenderis. Poſthac autem ut ad mitiora ſtudia reverſus, Pachymerium edas, omnibus ſe precibus à te contendere: quod & ego publici boni cauſa rogare abs te non deſiſtam deinceps, donec impetremus. Meum jam ſtudium aliquandiu in tenebris verſatur, menſurarum veterum, præſertim Hebraicarum, in quibus nec dum lucem, quam quæro, prorſus inveni. Reſalutant te præter Beſoldum etiam DDnn. Lanſius & Mœſtlinus, atque valetudinem proſperiorem una mecum ex animo comprecantur. Adjunxi etiam Falconis literulas, mallem ut tibi nunc occupato & adhuc valetudinario parceret; Sed eſt diſcendi cupidus, & quærit ubi ſe inventurum ſcit. Fiet

aliquando gener D. Oſiandri, nam ejus privignam conſenſu parentum amare & ambire ſcio. Raptim. Tubing. d. 14. Decemb. anni 1625.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S. P. D.

PLusquam vel ſperare fuiſſem auſus humanitatis & beneficiorum à Tubingenſibus accipio, & mihi benevolentia tanto pluris eſt, quanto minus eam agnoſco me prometuiſſe, Tibi verò, longe plurimum debeo. &c. &c.

20. Mart. 1626.

Wilh.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S. P. D.

AH me infelicem! cui tàm beato non licuit eſſe, ut Amicum deſideratiſſimum, in propinqua venienientem viſitare, & cujus candidiſſimam mentem ſatis jam novi, vultus etiam contemplari potuerim, os ori, manus manibus conſerere! Peſſimè feciſti, qui aliàs totus optimus es, mi Berneggere, quòd præſentiam tuam ſerò ſignificaſti. Cum Lanſius mihi Stutgardiâ reduci ſignificaret, poſtridiè ſtatim in thermis inviſere volui, & quibuscunque potuiſſem perſuaſionibus, mecum reducere, ut vel domi decenter exciperemus tàm exoptatum hoſpitem. Sed indicavit Beſoldus, à quo ſalutatorias literas flagitabam, pridem diſceſſiſſe. Non ita decuit ſpem Tui nobis fa-

cere, hiantes deinde fruſtrari. Ecquid verò jam vales? an melius? quod ſanè lubentiſſimus auditem. Si nos amas, imò ſi poſteritatem, & publicè omnes, cura valetudinem, & hoc tuum tàm ſubacti cerebri domicilium. Pluribus jam non onerabo laſſos ocellos. Hoc unum repeto VALE vir Eximie. Tubing. d. Petri, Pauli, Anni 1626.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S. P. D.

TObias Lotharius lectiſſimus juvenis, mihique gratiſſimus commenſalis, die craſtino proficiſci conſtituit ad acidas Petrinas; quas cùm etiam à veſtratibus ut in iſta vicinia frequentari audirem, hunc librum à typographo meo mihi nuper donatum ei dare placuit iſthuc ferendum, ac per occaſionem Tubingam ad te mittendum, futurum ſi non alia

liare; ſaltem novitate gratum. Boni quæſo conſule parvum, ſed à magno amore munuſculum. Accepi proximas tuas, in quibus, quod è Thermis Würtembergicis ad vos non venerim oſtendis iniquè te ferre. Mi Schickarde, in me nihil viſendum aut deſiderabile vobis eſſe poteſt: ego vero cauſas plurimas habeo, cur & te, & alios iſthic viros ſummos coram alloqui complectiq; pridem optaverim, nec id omiſſurus tum fueram, ſi aut comites meos deſerere, aut ſuperiorum conceſſione diutiùs manere licuiſſet. Erit autem, uti ſpero, cum voti mei compos reddar. Interim omni cultu & obſervantiâ atque amore me ſemper tecum eſſe credas velim. Optime vale virorum optime juxta atq; doctiſſime. 7. Auguſt. 1626.

Wilh. Schickartus Matth. Bernegger S.P.D.

CLariſſime ſimul & Chariſſime Berneggere. Scribendi officium hactenus non pigritiâ, nec Tui oblivione (quæ nulla unquam in me cadere poteſt) intermiſi, ſed ægritudine diuturna. Totum enim trimeſtre hactenus febri laboravi, quæ initio erat ardentiſſima, & meo Collegæ D. Rümelino prorſus lethalis, nunc autem reconvaleſco, per DEI gratiam paulatim, atq; diu omiſſa ſtudia poſtliminio quaſi reviſo. Recreavit me tamen inter ipſos paroxiſmos non mediocriter epiſtolà Tua, cum adjuncto donario mihi decumbenti reddita: pro quo ſingulares habeo gratias, id unum ægrè ferens, quod tenuitas mea nihil reperit, quô viciſſim animum gratum & officio-

ſum.

ſum conteſter. Interim tamen accipe viles haſce chartulas, donec tempus meliora ſuppeditet. Incluſas literas, à D. Mõglingo ſcriptas, & ex Haſſiâ mihi transmiſſas, quæſo Clariſſimo Viro Dn. D. Habrechto, cum denuntiatione officiorum & ſalutationis meæ, tradi cura; ſimulque mone, ut citò reſcribat. Sed aliud majus eſt, quod mihi à te præſtari percuperem, ſi id rogare fas eſt. Adjunctum librum, in membranis manuſcriptum, Hebræumque Domino Buxtorfio mitti vellem. Nec te hâc moleſtiâ fatigarem, niſi prorſus hîc deeſſent, qui *Baſileam* iter faciunt. E veſtrâ verò Argentina, occaſione communis Rheni, crebrius illuc iri credibile eſt. Rogo itaque per illius viri celebritatem, velis haud gravatim illuc mittere. Idque per tutum & fidelem tabellarium, quia liber

 pretio-

pretioſus eſt, nec uſpiam fortè inter Chriſtianos comparandus. Imò ne Judæis quidem frequens: qui tamen nobis non communicarent quovis pretio, quia fidem attinet, atque textus inter nos utrinque controverſos. Porrò noſter Falco nuper petiit, ut ſi quando ſcriberem, poſt ſalutis præfationem, vetus quæſitum iſtius renovarem, an omnia quæ de Johanne octavâ, magno numero è libris Pontificiis citaveris, ita ſe in cunctis editionibus habeant? vel quibus ipſe exemplaribus ſis uſus? ſibi hoc ſcitu opus eſſe, ac velle (quandoquidem libros hic non habemus.) Tua fide citare, quæcunque ipſe legeris. Plura jam non addo. Vale Vir eximie, ac poſtquam ambo convaluimus, patere ut crebrius mihi ſcribere liceat, Tibi verò legendi ocium extorquere. Rapt. Tubing. prid. Kl. Decemb. anni 1626.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Salutem & officia paratiſsima.

CLariſſime Domine Berneggere, Fautor & Amice deſideratiſſime. Poſtquam tabellarius noſter, ænobarbus ille, noto crimine deprehenſus, civitate fuit ejectus, raras habui ad Te ſcribendi occaſiones. Eò minus præſentem hunc negligere debui, ut ſcires quid valerem. Valeo autem corpore quidem, DEO ſit laus, nunc meliùs, quàm animo. Is enim diu jam incerta ſpe promotionis angitur. Fortaſſis meminiſſe potes, quid aliquando de mei invi-ti, ex Eccleſiæ miniſterio ad hanc ſcholam abreptione retulerim, & quod unicâ ſpe promiſſę apud nos in Senatum receptionis, præſentem conditionem æquius tolerave-

rim. Sed vide quid eventus minitetur! cum illud, quod pridem (vulgato dicterio) in debitum cecidit, ſolvendum eſt, atque ſe occaſio diu expectata offert, ingerit ſe alius variis technis, & animos aliquorum occupat, ut votis ſuis numero pluribus, ipſum præferant, me præterito. Recordatur verò mei clementiſſimè Illmus Princeps Würtembergiæ, penes quem eſt confirmandi facultas, probè ſcilicet adhuc memor, quâ conditione me ab Eccleſia dimiſerit ad Academiam, & aſſenſum ſuum hucuſque jam in trimeſtre diſtulit (qui aliàs paucis poſt diebus ſequi ſolet) rationes etiam à patribus conſcriptis poſtulavit, cur ſic fecerint (quod ante hac fuit inuſitatum nobiſcum) & jam commiſſarios ſuos huc mittere parat, qui coram omnem ſtatum Academiæ penitius

explo-

explorent: quod neceſſarium cenſeat maturè his molitionibus occurrere, & præcavere, ne res mox trahatur in exemplum, quando duæ aliæ profeſſiones, una Juridica, altera Medica, hoc ipſo tempore, obitu CLL. VV. DD. Heilbruneri & Bloſſii vacant. Videt enim famæ Academicæ parùm fore conſultum, ſi ob privatas charitates ille vel iſte intrudatur. Sed hæc odioſa ſunt, nec ſatis tuta ſcriptu. Habeto ea tibi ſoli in ſinum, literis vel abolitis; & certè an probè clauſas acceperis, una lineola ſignificato. Interim animi hanc ægritudinem lenio ſtudiis Arabicis, dum opportunè ſatis mihi oblatum eſt exemplar genealogiæ præcipuorum Regum orientis, puta Perſicorum, Parthicorum, Tartaricorum &c. à tempore inclinati Rom. Imp. ad Muradem 3. continuatæ, ex

Archi-

Archivo Turcico, in expugnatione caſtri Fillek, An. 1593. ereptum, quod totum hiſce diebus deſcripſi, & cum verſione atque notis (Te tamen in præcipuis antea conſulto) pluribus communicare cogito. Continet autem Arabica illa Genealogia præcipuas familias Magnatum Orientis, præcipuè illos, qui intra mille annos rerum in Aſia potiti ſunt, ut Reges Perſiæ, Chaliphas Saracenorum, Succeſſiones Tartarorum à Gingischano &c. Salgukios, Bujanos, Sebvetakinos-Indos &c. Denique Turcas uſque ad Sultan Moradem 3. non ab Oſmanno tantùm, ſed inde ab Adamo & Noah repetitos &c. Etiam Chriſti Domini & Patriarcharum V. T. proſapias, quantùm de illis Muhamedani ſciunt: Item ipſius Pſeudoprophetæ Muhammedis natales &c. cum veris & genuinis nominum
proprio-

propriorum ſcriptionibus, unde vulgarium authorum depravationes corrigi poſſunt.&c. Quæ omnia ſic in convolutâ ſchedâ 48. pedes longâ, elegantiſſimè exaratâ, & in Archivo Turcico reperta ſunt. An. 1592. cum caſtrum Fillek expugnaretur &c. mihi autem à Nob. & Ampliſs. Dn. Vito Marcktalero Ulmano communicata: qui authenticum exemplar, manu ſuâ Turcis ereptum poſſidet.&c. Perſonarum Illuſtrium in univerſo ſunt 635. quarum ſucceſſiones cum meis commentariis jam edam, DEO volente; moram injecit ſculptoris defectus. Rev. & Cl. Dn. D. Schmidio ſalutem, qui non mirabitur eoſdem obſtare mihi, quos & ipſe hîc ſenſit olim minus propitios. Vale Vir Excellentiſſime, & huic libertati meæ libenter ignoſce. Tubing. d. 10. Maii, anni 1627.

Matth-

Matth. Berneggerus Wilh. Schickario S.P.D.

VIrorum, fautorum, amicorum egregie. Jam diu ceſſator in officio ſcribendi fui non oblivione ullâ tui, qui mihi vel perpetuo tacenti hæres hærebisque pectori, quoad vivam: Sed quod aliquanti temporis inducias epiſtolicas in univerſum agitare decreverim, ut tempus illud, quod ab Academicis occupationibus mihi vacuum relinquitur, refutationi cuidam impenderem. &c. Hebręum codicem Mſ. quem D. Buxtorfio mittendum pridem commiſiſti, Brederodio Legato Belgico D. Lingelshemius rogatu meo Baſileam tranſmiſit, ſpero rectè curatum, utique cum ejus in tuis non ampliùs memineris. D. Clericus Genev. Acad. Prof. Heb. ſuperiori menſe Majo, Alco-

Alcoranum Turcium à me per literas popoſcit. Reſpondi, me librum illum tibi digniori poſſeſſori proprium feciſſe: abs te itaq; per fratrē hoſpitem ſuum peteret: & faciet, opinor. Arbitrii tui, ſed vix conſilii mei eſt, ut librum tanto abs te itinere ableges. Reverendo D. Falconi pl. Salutem. Pudori mihi eſt, eximii viri tam obviam humanitatem, literis unis alteriſque declaratam non majori alacritate & ἀμοιβῇ literarum excipere, ſed nimirum tempore, quod vix ad neceſſaria mihi ſufficit, ab ejusmodi ſuaviſſimo alloquii mutui commercio excludor. Autores de Joanne Papiſſa à me laudatos, ipſe pleroſque habeo: cæteros D. Dachtlerus inſpiciendos dedit: quibus addam proxime adhuc plures. Quæſo quid illud eſt, quod in D. Habrechtum nuper edidiſti? Facis inju-

injuriam amicitiæ noſtræ, qui hæc talia me pateris ignorare. Nam non niſi paucos ante dies ex ipſius convictore rem cognovi, qui addit, eum neſcio quid reſponſi parare: quòd quale futurum ſit, jam antè perſpicio. nimirum ſolidis rationibus tuis ſatyram opponet & ſarcaſmos. Memini etiam dudum promiſiſſe orationem parentalem habitam Anteceſſori Tuo. Ecquando illam repræſentabis? quæ à te prodeunt; ſine ulla exceptione omnia cupio ut ære meo poſthac ad me mittas, auro contrà mihi ſemper cara futura. Vir optimus D. Blumius, tibi quoque ut video, familiaris, hac modò horâ Baſileam abit, meis ad Brederodium commendatitiis inſtructus, abhinc duabus tribuſve ſeptimanis ad nos rediturus. D. Schmidius noſter hoc edictum ſuum Academicum officio-

ſa

ſa cum ſalute, ad te mittit. Oro Magnificos Ampliſſimosque Viros: D. Beſoldum, & D. Lanſium ex me per occaſionem obſervanter ac honorificè ſalutes. V. 5. Jun. 1627. (quæ fidem ſilentii pactus ad me ſcripſiſti, D. Schmidio communi amico, nec cui præterea monſtravi. Dolet ille mecum vices tuas, & hoc oſtraciſmi genus etiam iſthic locum habere, nec dum extinctum illum genium loci, qui Friſchlinum etiam olim exturbavit. Sed bene tu ſolaris te illo Senecæ: Sæpe majori fortunæ locum fecit injuria. Quod dictum heri reperi quadam in philotheca manu tua ſcriptum: cui mea quoque manu ſubſcripſi, ut vel hoc modo dextram dextræ jungeremus: quod utinam præſentibus aliquando liceret!) Miſi per Mutſchelium.

Wilh.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Salutem per CHRISTVM pl.

QUi has ad Te fert, Dn. Berneggere, Fautor amiciſſime, filius eſt noſtri Hebenſtreiti Ulmenſis, Viri ut in literis, Græcis pariter & Latinis exercitatiſſimi, ita fortuna meliori omninò digniſſimi. Meliori, inquam, eâ quam nunc experitur, ut ipſomet interprete clarius cognoſces. Si vel patri vel filio ulla ratione poſſis patrocinari, nullus dubito quin ſpontè ſis facturus promptiſſime. Me quod attinet, equidem adhuc res in ſuſpenſo eſt. De quo nuper ad te ſcripſiſſe memini. An acceperis reſciſcere percuperem, quia intereſt utriuſque, literas non intercidiſſe, nec fuiſſe recluſas, quod crebrius mihi accidit. Utinam verò Te nunc haberem mihi propiorem!

ut in

ut in edendis Arabicis, de quibus dixi, ſubinde poſſim conſulere, quo- ad hiſtoriam Orientis. An nihil ha- bet Pachymerius tuus ὁ ἀνέκδοτος de rebus Perſicis, Parthicis, Tartaricis, Turcicis? quod me juvare poſſet. Nihil ne de Gingiſio-Chano, de Oc- cotai, Tamerlane, Sultanis, Cali- phis? &c. qui mihi negocium faceſ- ſunt. Aut quisnam præter Haytho- nem, Paul. Venet. Reineccium, & Levvenclavium, iſta attigit? Nomi- na ſolùm Authores, ut ulterius de dubiis ſciſcitari poſſim. Ipſos videre non cupio, nec jam vacaret totos re- legere, ſed ut ſi quos haberes, tuâ operâ, compendio autem meo, inde doceri queam. Unius penè oblitus eſſem, Petri Teixeri Hiſpani, qui mi- hi in rebus Perſicis abundè ſatisfacit. In Coraſminis & Salgucidis maximè deſtituor. Vale. raptim, Tubingæ. D. 6. Jun. anni 1627. *Wilh.*

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Sal. per CHRISTVM *pl.*

CLariſſime & Excellentiſſime Dn. Berneggere, Fautor honoratiſſime. Qui has reddit, Dn. Metrophanes Kritopulus, Beroënſis Macedo, ſupra commendationem meam eſt. Nec alio fine literas ipſi trado, niſi ut ſcias, etiam mihi charè habitum fuiſſe. Parùm abeſt, quin anno integro nobiſcum fuerit verſatus; eo tempore multas bonas horas ſuaviter contrivimus Experieris ipſe hominem eſſe probum, doctum & quoad mores fidemque, minimè Græcum. Non diu vobiſcum morabitur, opinor. Cauſas enim habet, cur ſe Cònſtantinopolin maturè conferat. Succedet ibi olim in Patriarchatu, ſi Cyrillus iſte moriatur &c. toto quinquennio hæſit Oxonii, non Academicis tantùm, ſed & Sereniſ-

reniſſimo quondam Jacobo Regi &c. honoratus. Noſtro autem Principi Wirtembergico, ſingulariter dilectus, cujus in ipſum favoris argumenta extant non vulgaria. Cæterum ternas minimum, brevi tempore, ad Te, Vir Amiciſſime dedi literas, in quibus aliqua de meo ſtatu expoſui, quæ quod invidiæ nonnihil habeant, intercepta fuiſſe nollem. Expecto unius verbi ſignificationem, an fideliter ſint reddita. Tandem & hoc addo, veniet propediem ad vos, Felix Linſenmannus, meus quondam convictor, hactenus Altorfi aliquandiu commoratus. Eum ut commendatum habeas, rogo. Nolo quicquam negocii faceſſere, ſufficit ſi ſemel aut iterum toto tempore ad colloquium admittas. Scio enim & credo, quam ſis occupatiſſimus. Et idem ex meâ,

quamvis diſpari & tenuiori conditione æſtimo, quam moleſtum ſit, à ſalutantibus interpellari toties, cum diſpendio temporis melius collocandi. Hæc feſtinanter, Tubingæ. d. 18. Jun. anni 1627.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S. P. D.

METrophanes Critopulus ille veſter, ac veſtro beneficio nunc meus attulit mihi literas tuas, ex quibus intelligo, meas, quas die 5. Junii proximi, Mitſchelio ad te ferendas commiſi, non benè curatas eſſe. Submetuo, ne Müitſchelio, in hac latrocinii militaris impunitate humanitus aliquid acciderit: & metuam amplius, ſi ne nunc quidem redditas eſſe cognovero. Semper enim eum hactenus in expediendis commiſſis fidelem deprehendi ac diligentem.

gentem. In magnâ felicitatis parte colloco, quod ſuaviſſima & erudiciſſima conſuetudine Metrophanis illius uti mihi licet, ſperoque futurum interceſſione non tam meâ, quàm D.Doct.Schmidii noſtri, apud urbis capita gratioſiſſimi, ut non minus hîc quàm iſthic & alibi publicâ liberalitate conatus ipſius atq; conſilia, Eccleſiæ toti Chriſtianæ, aut omnia me fallunt, utiliſſima futura, juventur. Felix Linſemannus nuper huc venit, cui vel tuo nomine quicquid officiorum potero, præſtabo: modo ipſe, qua potiſſimum re juvari velit, notum det, & ad me ſubinde viſat: id quod è commendatis pauciſſimi facere amant: ſed à primo alloquio vix unquam redire. Curæ mihi fuerunt, quæ Dn. Pfanneri nomine requiris. Uſus ſum in ea re conſilio eximii Medici D. Sebizii,

Profeſſoris Academiæ noſtræ , qui poſt moroſum judicii lancé è pluribus elegit Chriſtophorum Ering Sileſium , etiam ab aliis mihi valdè commendatum. Magis idòneum illi provinciæ in hac quidem urbe hoc tempore non potuimus invenire. Fac primo quovis tempore ſciamus, an placeat : ne bonum iſtum doctiſſimumque Virum promotionis dubium ſinamus pendere diutius &c. 8. Jul. 1627.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S.P.D.

QUàm valdè & amicè ſollicitus fueris de meâ valetudine , mi Berneggere, Vir Cl. Dn. honorande, apparuit ſatis è ſcheda , quam Dn. Stoyæ dediſti apertam. Habeo gratias pro pio affectu , & ſecurum eſſe jubeo. Convalui enim, ſi non penitus,

tus, ita tamen ut vitam facilè tolerem. Cæterum Ampliſſimo Dn. D. Bitſchio, nunquam ego auſus eſſem, hæc vilia obtrudere, niſi tu juſſiſſes: excuſa, ſi non ſatisfacio ipſius expectationi. Retulit mihi præſens Studioſus, M. Joachimus Klein Lipſienſis, venalem extare vobiſcum globum cavum. Ejus exemplar (crudum tamen, nec inductum orbi) videre geſtio, quòd in ſimili argumento me ante hoc decennium exercuerim. Juſſi ergo mihi unum compararet ære meo, & huc mitteret; Tu ſi venditorem ipſi nominare potes (ait enim ſe ignorare) quæſo illuc ablega, ut deſiderium impleat mihi. Addidit etiam neſcio quæ plura, de Dn. D. Habrechti conatu quodam Aſtronomico. Abolevit ne prorſus, quod non ſucceſſit? an poſſum ejus videndi copiam habere?

Sanctè juro, minimè cavillandi animo iſta expetere, ſed quia mirificè delectant hæc ſtudia, in quæ ſubinde divertor ex Arabiâ deſertâ. Nec æſtimo talia ex eventu, ſed intentione. Multa & ipſe incipio, quæ non ſuccedunt ad votum. Qui nihil unquam conetur, is nec aliquid præſtat. Vale, ac D. Metrophanem ſaluta, ſi nondum diſceſſit. Vellem reditum in patriam maturaret, quia hoc Illmo Principi meo in votis eſſe ſcio. Cauſas novit ipſemet. Vereor ne novas moras nectat Baſileæ & Genevæ, ni Dn. Marſtallerus velut cuneus jam ſuperveniens, ipſum exegerit. Iterùm vale. Dab. penult. Aug. anni 1627. raptim.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Sal. per CHRISTVM.

CLariſſime & Excellentiſſime Dn. Berneg-

Berneggere, Amice ὁλοκαρδίως dilecte. Jucundum eſt mihi ſubinde à peregrinantibus ſtudioſis, bonam valetudinem tuam explorare. Conſervet eam DEUS O. M. diutiſſimè: Ego etiam ſat benè mihi valere videor, quando non prorſus peſſimè valeo. Solos oculos hybernæ candelæ infeſtant, cætera, laus DEO, tolerabiliter habeo. Græcus noſter jam Bernæ agit, utique ab Helvetiis etiam, ut meretur, honorificè & munificè exceptus. Arabica mea tardè procedunt, ob continuas ferè & heterogeneas occupationes: videbis tamen intra menſem, ut ſpero, illorum ſpecimen. Nunc vilem hunc Germanicum libellum, tuo conſpectu alioquin non dignum, ſolius obſervantiæ cauſa mitto. Ridebis, credo, meas ineptias: at excuſabit facilè flagitantis Amici deſiderium.

Deſino, & omnia fauſta precor. Ampliſs. Dn. Bitſchio Sal. à me & vobis ambobus etiam à Dn. D. Lanſio. Vale. Feſtin. Tubingæ D. 18. Octobr. anni 1617.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S. P. D.

CLariſſime Dn. Berneggere, Febris, quæ anni ſuperioris canicularibus me diutiſſime detinuit, iterum excruciat miſerum, ut hodie, intermittente tempore, vix æger hęc tria verba ſcribam. Spero tamen indies meliora, ſi Medicorum præſagiis fidendum eſt. De cauſa ſua Pfannerus ipſe ſcribet, quia mihi per valetudinem impoſſibile eſt. Contra Cl. Dn. D. Habrechtum, præter notam illam & modeſtam (ut opinor) diſceptationem, nihil quicquam aliud ſcripſi, neque etiam habui

bui cauſam, ut ſane nunquam ipſum propter hanc liticulam feci mino- ris, ſed ſemper dignè (ut meretur) æſtimavi. Miror igitur ejus conatum, ni forte error eſt famæ. D. Beringeri funebrem proxime modo ante me- am ægritudinem excudi curarunt hæredes: alias utique citius miſiſ- ſem: Quamvis tanti non ſit, ut Tuum conſpectum ſuſtinere poſſit. Vale Vir Excell^me^ melius. Hæc è grabato laſſus & valdè attritis viri- bus. 3. Auguſt. 1627. Tubingæ.

Matth. Berneggerus Wilh. Schi- ckarto S.P.D.

SAlve plurimum, Excell. Schickar- de. Triplices tibi gratias & debeo, & habeo, & ago, de Fredero primum, cujus viri ſane quã egregii notitiam atque etiam, ſi modo per feſtinatum reditum licuit, amicitiam, commen-

dationis tuæ beneficio conſecutum, gaudeo, deinde de cenſura quæ magno mihi ſolatio fuit: de conſilio denique fortiter contemnendi malignitatem alienorum judiciorum, cui tanto lubentius obſequar, quod in hac publicarum calamitatum iliade privatorum incommodorum quiſque facile ſolemus obliviſci. Quæ nos undique pericula circumſtent, imò premant, ex hoc noſtro, vel ex aliis audire te, ego Sigalionem hic agere malo. Ecce tibi programmation quoddam meum, indignum certè conſpectu tuo, ſed quod tibi tamen confirmet, me in illo moleſtiſſimo piſtrino meo non inſtrenue ſudare. Summe deſidero videre diem illum, qui nos ad alloquia mutua præſentes contrahat. Hac rerum facie vix fiet: ſi quando tamen aut in acidulas Petrinas aut alium vicinio-

rem nobis locum opus erit excurrere, fac præſciam, & me tibi ſiſtam, homini, quem omnium maximè amo, & à quo redamari maximè cupio. V. 13. Decembr. 1627.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Felices Annos plurimos, & omnem proſperitatem.

CLariſs. Dn. Berneggere, Amice præcipuè. Dum in editione illius Genealogiæ Magnatum Orientis, quam nunc parturio, undique conquiro, quæ ad ejus illuſtrationem faciant, & commentaria mea juvent, reperio in notis Hier. Wolfii ad calcem Nicephori Gregoræ, quædam è Pachymerio breviter excerpta, quæ is in Auguſtano codice multis tamen locis mutilo legit, & latinè nobis communicavit: ſcilicet de Tocharis ut vocat, quos non alios quam Tataros eſſe, certò videor ſci-

re. Facerent ea plurimùm ad meum propoſitum, in tantâ cæterorum Authorum penuria & ſilentio. Quia verò jam publicè conſtat, etiam tibi exemplar illius Pachymerii ἀνεκδότȣ eſſe, rogo per noſtrum amorem & publicam utilitatem, velis hoc laboris mei cauſa ſuſcipere haud gravatus, & loca ea, quæ in hâc ſchedulâ conſignavi, cuidam fideli amanuenſi & Græcæ linguæ non imperito ſtudioſo indicare, ut is pro me diligenter exſcribat, præſertim verò in propriis nominibus curam adhibeat, nè vitioſa accipiam. Illi quicunque futurus eſt, ego pro labore excerpendi, debitam mercedem gratus mox ſolvam: Tibi verò perpetuus debitor manebo. Si quæ fortaſſe Pachymerius narrat prolixius, aut non ad rem (hoc eſt geſta Tartarorum) facientia, velim ea tuo judicio

cio contrahi, & tantùm neceſſariæ exſcribi, ut quantum poſſibile fuerit, omnia ſint brevia & pauca. Si Dn. Bokenhoferus, vel alius Bibliopola Relationes Petri Teixeræ de Perſia, linguâ Caſtellanâ ſcriptas, & Antvverpiæ in 8. excuſas, haberet, vellem & illas mihi jam per hunc civem noſtrum mitti, cum indicatione pretii, quod certò ſtatim conſequetur. Ignoſce ô Berneggere optime, quod amoris fiduciâ tantum laboris faceſſo tibi: & impone viciſſim quodcunq; onus volueris, atque vale. Tubing. D. 6. Januar. anni 1628. rapt.

G. Packymerius lib. 2. poſt medium:

Ut Chalyſas & Perſæ à Tocharis (ſic Tataros vocat, niſi melius in Græco ſcriptum ſit) hoc eſt Scythis, ſubacti ſint. Utque Sultanus Azatines ad Imperatorem confugerit.

Ut Imperatores ad Tocharorum famam affecti fuerint.

E libr.3.poſt initium.

Ut Imperator legatum ad Tocharos miſerit. Et de Noga.

Ex eod. circa finem.

De Sultano Azatine, quomodo totos dies comeſſando exegerit. De Tocharis, & mendacio de illorum incurſione ad Nicæam vulgato.

E lib.5.poſt initium.

De Noga; & Tocharis ſive Scythis, quis illorum primus Rex, ſcilicet Tzinciſcanes (debuiſſet Ginkiſchan ſcribere) faber ærarius (quod minimè credo) quas leges ſuis tulerit. Et quomodo Nogas ornamenta ſibi ab Imperatore dono miſſa, contempſerit, quòd morbos depellere nequeant margaritæ &c.

E lib.6.multò ante finem.

Quomodo Meſembriæ præfectus Umber-

Umbertopulus, exiguâ manu, unam myriadem Scytharum, ad ripas Iſtri deleverit.

*E lib.*10.*etiam ante finem.*

Quomodo Nogas ille, à Chazane dux miſſus, poſtquam res maximas in Septentrione geſſiſſet, à Cray Scytharum eorundem Principe, cæſus fuerit: ejusdemque filius Tzacas, per inſidias affinis ſui Sphentislabi captus, & à Judæis ſtrangulatus ſit. Et quomodo idem Crays uxorem ſuam Mariam, ſocero Andronico, interim domum remiſerit, dum bellum illud conficeret.

*E Principio lib.*12.

De Morte & moribus illius Chazani Scytharum Principis. Pauca &c.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

MI Excellentiſſime & Ampliſſime Schi-

Schickarde. Nunquam mihi propius admotus fuiſſe videor ad ultimam illam rerum lineam, quam hiſce diebus aliquot. Nunc tamen per DEI gratiam & medicorum opem incipio paulatim cum valetudine in gratiam redire & nonnunquam è lectulo prorepere. Ad ſcriptionem tamen aut intentiorem lectionem nondum ſufficio. Itaque hæc pædagogo domeſtico dictare neceſſe habui. Mitto hîc quem pridem petiiſti, Pachymerium ipſum. Nam excerptis faciendis nec ipſe nunc par eſſem: nec facile ſtudioſum invenerim, in hoc frigore ſeneſcentis ac propemodum enectæ Græcitatis, utere libro ut tuo per menſem unum, alterum atque etiam tertium. ultra enim retineri nolim, quia meditor ſupplementum aliquod Gloſſarii Græco-barari Meurſiani ex collo-

colloquiis cum Metrophane noſtro, à quo propediem expecto literas Venetiis: & jam famulus ejus prænuntias inde ad me miſit, & præterea has quoque, quas quæſo per famulum redde, cui debentur. Unà mitto quædam exempla parentalis cujusdam orationis meæ, quam æſtate ſuperiori habere juſſus ſum. Ea, ſi placet quibus voles, diſtribue. D. Beſoldo inprimis exemplar deſtino, qui obiter ſui factam in ea mentionem ne ægrè ferat, rogo. Et alterum D. Lanſio, quibus ſummis viris à me ſalutem dic officioſiſſimam. Vale mi Schickarde, animæ dimidium meæ. Argentorati. 29. Jan. 1628.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Sal. & meliorem valetudinem.

DE hâc enim adversâ vehementer ſolli-

ſollicitus fui. Lætor eo plus rediiſſe cum ſanitate in gratiam. Cæterùm, mi Excell. Domine Berneggere, pro libri uſu gratias maximas, nunquam in mentem venit, ipſum librum petendi, hoc præſertim tempore, quo viæ ob militum petulantiam ſunt minus ſecuræ. Non tamen pœnitet ipſum pervolutaſſe, reperi plura quàm è titulis Wolfii æſtimaſſem, quæ ſuis locis, cum gratâ Dn. Poſſeſſoris mentione uſurpabo. Quantum vero Typographus profecerit, miſſo ſpecimine vides, cætera continuabo quoties occaſio fert: ſi tanti ſunt hæ nugæ, ut tuum conſpectum ſubeant. Quæſo tribus verbis ſignifica, num tabellarius reddiderit librum, ut ſecurus ſim de illo: nam ea conditione illum concredidi. Illuſtr. Princeps meus hîc inquirit in librum cujusdam Kyranidis,

nidis, quem puto Phyſicum eſſe, de herbis vel metallis ſcripſiſſe, nec reperit. Obſecro, ſi noſti quid Authoris ſit, vel ubi comparandus, ſignifica: mereremur ſingularem gratiam. Vale & feſtinanti ignoſce. Reſalutaris à DD. Beſoldo & Lanſio humaniſſimè, quibus omninò pergrata fuerunt orationis exemplaria. Tertium (quia liberum fuit) dedi tuo nomine Flaydero meo Collegæ, qui propediem juſta hîc ſolvet magno quondam Grutero, hoſpitii jure etiam noſtro. Dn. Grüntalio per D. Lanſium cauſam tuam pecuniariam commendavi, & ſæpius hæc admonebo. Die Solis Septuageſ. 1628.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S. P. D.

PRæclariſſime Vir, amiciſſime Schickarde. Conflictanti mihi

cum

cum reliquiis morbi ſane quam diffi-
cilis, pro ſuavi refrigerio fuere pri-
ma illa libri tui folia, quæ cum Pa-
chymerio meo rectè tabellarius mi-
hi reddidit. A multo tempore, ſic
me Deus amet, nihil legi, quod me
majori voluptate, addo etiam admi-
ratione perfuderit. Ardeo deſiderio
ſequentium, quibus me fraudare,
per amicitiæ noſtræ fidem tibi non
licet. Utinam aliquid ſubſidioli à
mea tenuitate ad eximium hoc opus
conferri poſſet. Tu verò à nemine
certius præſidium quam ab illo ſub-
limi & igneo ingenio tuo petieris. Si
tamen aliquid librorum habeam,
quod ad rem faciat, impera modo ut
mittam, & impetras. Jam à biduo
vel triduo cœpi reptare in meum
muſeum, & obiter perluſtratis li-
bris, hos deprehendi, neſcio an ti-
bi utiles futuros.

Petrii

Petri Bizari Perſica. Antverp. 1583. fol.
Annales Turcici, cum ſupplemento Leonclavii. Ffort. 1588. fol.
Hiſtoria Turcica Loniceri & aliorum. Francof. 1584. octav.
Chronicon Hieroſolym. Reineccii. quart.
Stephani Kakaſch vnd Georgii Tectandri Perſianiſche Reyß. Altenburg 1610. Item Marci Poli Reyß in die Tartarey ꝛc. durch Megiſerum verteutſcht/octav.
Saracenica ſive Mahomethica &c. Græcè & latinè, cum notis Sylburgii, Commelin. 1595. in octav.

Si firmior ero, forte plura invenerim, & ſignificabo cum tempore. pecuniam libro incluſam Bockenhofero miſi per Kleinium. De Kyranide vide quid habeat Geſneri Bibliotheca.

Memini pridem vidiſſe librum in folio

folio excuſum Baſileæ, in quo plurimi autores chymici, & tales juncti. Suſpicor inter hos etiam eſſe Kyranidem illum. Quod Grutero parentalia paratis vehementer & probo & gaudeo: Vale προσφιλεστάτη κεφαλὴ. 19. Febr. 1628.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S. P.

MI Optime & Amiciſſime Dn. Berneggere. Qui haſce fert, Dn. M. Schallerus, tardiori reditu ſuo (mihi tamen ob familiarem hominis notitiam, etiamnum præmaturo) fecit ut ſeriùs nunc tibi reſponderem. Habeo autem gratias pro indicatis titulis librorum, ad meum inſtitutum aliquo modo pertinentium. Aliquos jam ante vidi; nempe Bitzarum, qui tamen non omninò eſt ad guſtum meum, quia multa ſi-

ne

ne judicio coacervat, non ſemper benè digeſta: item Loniceri Turcica, quæ nuper ipſe ſum nactus. Multò præferrem omnibus Reineccium. Sed illius Stephani Kakaſch Perſicum iter, ſi perſpicuè deſcriptum eſt, aliquando videre cuperem; aut ſi Bockenhoferus habet, proprium ab illo redimere. Aut ſi qui ſunt alii, qui ad Perſiæ, Coraſan, & Maurenahor interiora penetrarunt: nam hîc maxima caligo eſt apud Geographos; qui nobis nugas obtrudunt. Quorſum progreſſæ ſint operæ Typographicæ, vides ex adjunctis. Tardè incedimus, quia non ſemper vacat, & plurima alia intercurrunt quotidie, plerunque ἄμυσα. Cernis etiam, quod priores paginas duas aboleverim, ſubſtitutâ nova unicâ. Feci hoc de ſententia Marchtaleri, qui Villekenſis occupationis hiſto-

riam,

riam, quantumvis veram & ab ipſomet mihi ſuppeditatam, hoc rerum ſtatu inſeri noluit. Non plenè intelligo ejus conſilium, debui tamen in re tantilla obſecundare. Creſcet tractatus in majorem quàm initio opinabar molem: ideò titulum intempeſtivius conceptum, aliquando mutare opus erit. Ampliſs. Dn. Lingelshemio, exemplar infundibuli, obſervantiæ meæ teſtimonium. Capnionis Bibliotheca Pfortzhemio dudum eſt translata Durlacum, & ab Illuſtriſsimo Marchione catalogus mihi communicatus librorum Hebraicorum: ſi tuâ ſcire intereſt, promptiſſimè impertiar. Quantum ad Gruteri exequias: nil quidem initio dubitabat Collega meus Dn. Flayderus, fore ut publicè liceret recitare, ajebat enim ſpem ſibi à plerisque privatim factam.

Sed

Sed poſtquam res in pleno conſeſſu deliberata fuit, obſtantibus unis verè Theologis, denegatum eſt. Itaque jam per typos vulgat, quod oretenus non licuit. Proximè accipies, pauca reſtant. Rev. & Clariſs. Dn. Groſſio, reciprocam ſalutem & officia mea. Scribam aliàs. Sal. Pl. etiam Ampliſs. D. D. Bitſchio, per occaſionem. Vale ô meum ſuavium! d. 21. Apr. anni 1628. Tubingæ.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S. P.

CLariſſime Dn. Berneggere, Amice cognite. Libellum Tectandri, quem dudum commodatò mihi dederas, nunc tandem reddo, cum reciproca oblatione omnium officiorum, quæ à mea tenuitate proficiſci poſſunt. Fuit is mihi lectu perquam gratus: quamvis in iis locis, ubi ma-

mè deſiderabam, ſit opinione mea brevior. Cuperem namque interioris Perſiæ deſcriptionem videre: ut cum Arabum relationibus conferre liceat. Cæterùm Gruteri vitam deſcripſit quidem Flayderus noſter (cujus exemplum Authoris nomine mitto, cum denunciatione ſal. off.) ita tamen ut nec mihi, nec aliis qui melius judicare poſſunt, per omnia probetur: nimis alicubi pueriliter & frigidè de tanto viro diſſerit; quod ipſius ætati condones, rogo; & Cl. Dn. Venatorem potius extimules, ut is parentalia ſua maturet, à quo Apelle ſolo defunctus noſter, pingi meruit. Addidi de meis rudimentis aliquot pagellas. Nec plures toto tẽporem interea ſunt excuſæ. Vidua enim Typographi, quæ non eſt in re lautâ, diſputationes interim & alia, quæ præſentem pecuniam afferunt,

runt, abſoluit: mea verò ſatis maturè proditura credit, ſi ad ſequentes nundinas expediantur. Denique, quod receptionem meam in Senatum Academicum attinet, meminiſſe potes, me olim retuliſſe, quòd patrum quidem votis excluſus eſſem, in Principis verò gratiâ, ſpem magnam poſuerim: nunc igitur ſcito eveniſſe mihi nuper quod ſperaverim, & poſt longiſſimam cauſſæ dilationem, ab eodem Illuſtr. me, vel invitis, adjunctum. Res quidem novi eſt exempli, eſſe numero ſeptem in collegio Philoſophorum, nec ab illis electum obtrudi: ſed non poterant Authoritati Principis clementiſſimi reluctari. Tum verò invidia, quam neceſſariò incurri, quotidiè (ut ſpero) minuitur, donec propediem evaneſcat penitus. Hæc amico in ſinum. Vale ô mi opti-

 me!

me! Tub. poſtr. Johan. B. anni 1628.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

EXcellẽtiſſime Schickarde. Quod neſcire te nolo, & pronis auribus accepturum ſcio, fauit fortuna negotio tuo Pariſino. Statim enim altero die poſt acceptas ampliſſimi Lanſii tuasq;, Klöpferus (quem pridem ipſe mihi cõmendaveras) cum Liebenſteinio nobili ſuo, Pariſios ivit, & cum veſtras literas cum meis ad Grotium commendatitiis ferendas ſuſcepit: tum etiam recepit, ſoluturum ſe librorum, quos requiri, pretium, Kerchero mercatori noſtrati, ſuo nomine reſtituendum: Ab aurigæ reditu, hoc eſt, poſt menſem circiter, eos habebis, modo illi dederint. Scripſit ad me Kepplerus junior

junior de viginti florenis & patris ad te literis, Fridio, Reipub. noſtræ ad Cæſarem legato, commiſſis, ut ad te curaret. Is monitus à me per Eſslingerum, ſtatim repræſentavit pecuniam: Sed de literis nec gry. Ex iſta pecunia florenos octo tabellarius numerabit: cæteros reverend. Dn. Neobulus dabit monitus, multumque monendus atque etiam urgendus per Kepplerum. Tibi enim id oneris imponere, hoc eſt, bonum publicum morari ſcelus fuerit. Non debebat amici pauperis, dives ipſe, patientiâ tam diu abuti. Puero, quē ſuperiori tempore mihi cōmendaſti, benè proſpexi. Vale princeps amicorum & viros ſummos, Beſoldum ac Lanſium, ex occaſione, meis verbis officiosè ſaluta. ſcr. Argent. 30. Aug. 1628.

*Wilh. Schickartus Matth. Bernegger*o *S.P.D.*

MI Cl. & Excell^me^ Dn. Berneggere. Quod librum Pariſios afferendum tam fideliter, hoc eſt, amice curaſti, & Lanſius mecum lætatur, & ego gratias ago: habiturus aliquando lubentiſſimè, ſi vel in ſimili, vel alio quocunque officio potuero. Cæterum Keppleri nomine à Tabellario accepi 8 fl. reliquos 12. à Neobulo expectans, qui ne obulum quidem prompte aut libenter ſolvit. Utut ſit, gaudeo repertam eſſe tam bellam occaſionem, qua Tu, qui longius ab eo abes, libereris ab homine: nos qui propiores ſumus & hominem quotidie poſſumus urgere, non diffidimus ſolutioni. Mitto Flayderi Epicedia. Peperit nobis inſperatus Illuſtriſſimi Principis obitus

obitus magnam ubique Metamorphoſin. Quia enim Ducatus iſte, alieño ære, ſupra quam credebatur, gravatus eſt, inſtituitur alia & frugalior Oeconomia, dimittitur pleraque Aulicorum turba inutilis, inquiritur in Magiſtratuum inferiorum officia & rationes, emunguntur ſpongiæ, quæ hactenus injuſtum lucrum imbibiſſe deprehenduntur. Etiam Illuſtre Collegium Tubingenſe, in quo extraneos hactenus alebamus, non ſemper gratos, ad tempus clauditur. Non puto abolitum iri perpetuo, ſed ad mentem primi fundatoris reformatum ſuo tempore. Quid de illius Profeſſoribus futurum ſit, adhuc incertum eſt, nunciabo cum reſcivero. Interea Vale reſalutatus ab utroq; JCto noſtrate. Dabam raptim 8. Sept. 1628. poſt auſpicatoriam orationem Dn. D. Bidembachii, Tubingæ. *Wilh.*

Wilh. Schickartus Matth. Bernegɡero. S.P.D.

QUi has reddit, eſt Joh. Pfannerus Viennenſis, Med. Studioſus: ille, quem ſuperiori anno frater meus Lucas Genevam repetiturus, aſtu Dn. Lanſii noſtri, neſcientem deduxit Baſileam; unde & mihi conſcio, ac diſſimulanti, aliquandiu ſuccenſuit, jam verò, ubi bonam intentionem noſtram, ſecundiori eventu didicit, merito reconciliatus eſt. Is nunc Baſileam reverſurus, Argentinam tranſibit. Te igitur, Vir Excellentiſſime mea voce rogat officiosè, velis ipſi unico verbulo viam præmonſtrare, qua poſſit Veſtræ Turris & aliorum viſendorum αὐτόπτης fieri. Ultra horas aliquot vobiſcum non commorabitur, ait enim ſibi ad Muſas ſuas properandum eſſe.

Hodiè

Hodiè hic expectamus Illuſtriſſimum Ludovicum, Ducatus Adminiſtratorem, ut ejus Celſitudini homagium præſtetur à civibus. Lætor autem literas meas & cauſam librariam, Tua benevolentia, Lutetiæ promotam eſſe. Utinam vel tandem occurreret reciproce gratificandi occaſio! De Keppleriano negotio ſcripſi nuper, bene actum eſſe, quod Neoboli debitum hic exigendum curaris. Nam quia vicini ſumus, crebris compellationibus nullam quietem relinquemus homini cunctatori. Reverendo Dn. D. Schmidio ſalutem. Pene oblitus fuiſſem alterius comitis, eſt etiam ſtudioſus Medicinæ, celeberrimi Theologi Dn. D. Theodorici Ulmenſis filius. Is vobiſcum diutius hærebit. Quicquid ipſi verbis aut conſilio benefeceritis, hoc omne Dn. parens ſibi præſtitum cen-

ſebit. Vale Decus meum! Dabam ſomnolentus & capite Catharris prægravato, raptim d. 26. Sep. 1628.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickardo S.P.D.

EXcellentiſſime mi Schickarde. Pfannerus noſter adhuc eſt in urbe, præſtolatur Baſilienſium ex Mercatu Francofurtano reditum, his comitibus tanto tutius Baſileam repetiturus. Is & tuo & ſuo nomine, quicqnid ab homine utriuſque ſtudioſiſſimo expectari poteſt, à me, ſi volet, feret: ut & Dominus Theodoricus: quem necdum videre contigit. Ut autem ſibi conſtent vices officiorum, hoc eſt, amicitiæ noſtræ præcipuum alimentum: ecce commendo Vobis invicem egregios juvenes, Petrum hunc Lutkens, & quorum ille ſtudia moderatur, Vin-

centium

centium & Hermannum Mulleros Hamburgenſes omnes, exemplo diligentiæ & modeſtiæ rariori veſtram deinceps, ut hactenus noſtram, Acad. ornaturos: dignos proinde, quos benevolè excipiatis, humaniter habeatis. Ambiverunt ante hac per me convictum Ampl. Dn. Lanſii, ſed exciderunt voto ſuo. cujus repulſæ dolorem ſolantur oblata de cætero ſummi viri ſtudia: ad quem ut eis admiſſionalis eſſe digneris, eundemque ut & D. Beſoldum verbis meis obſervanter ac officioſe ſalutes, oro. Gratias ingentes etiam ago de pretioſis munuſculis, quibus me ſubinde beas: utinam aliquid his dignum reponere liceat! Eſt hîc Sileſius quidam, Chr. Colerus poeta non inelegans, Opitii æmulus in Germanica poeſi. Quod genus carmen epithalamion hiſce diebus ſcripſit. Ejus ex-

empla duo vobis mittenda dedit, tibi inquam & Clariſs. Flaydero: quos ut maximè colit ac veneratur: ita ſibi fautores exoptat unicè. D. Flaydero pro tranſmiſſis ingenioſiſſimis epigrammatis funebribus gratias ago: præcipue vero tibi, cum de conciliato mihi tali fautore: tum & de ſuſcepta moleſtia mali nominis appellandi: quod niſi brevi expungetur, conſtitui Dn. Kepplero pecuniam mittere ſuam: nec enim æquum eſt, ut mea damna in alios derivem. Vale animæ dimidium meæ. 20. Sept. 1628.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Sal, & feliciſs. annos.

CLariſſime Vir. Jam penè votum feceram, Amice honorande, quod Te nolim ulterius meis reculis fatigare, cum ecce D. Buxtorfius

ſius noſter, in nuperis ſuis id irritum reddit, quando ſuas per te curari vult, & ne hoc exigere dubitarem, hiſce verbis addit: adeò liberale tuum erga Amicos eſſe ſtudium, ut nihil quicquam carius habeas, quam illis gratificari, &c. Vide quam libenter impudentia mea hac promptitudine tua utatur! an abutatur! exhibeo geminas, ad patrem ſcilice ac filium ſcriptas, ut ſi per nundinas occaſio detur, eas illuc mittas: ubi verò librum quendam Perſicum inde acceperis (quem commodatò dare, Buxtorfius ultrò pridem obtulit) eum ſuo tempore ad me tutò deferri cures. Ait ſe de hoc ipſo tibi dudum ſignificaſſe. Porrò quia codices è Lutetia petitos, nondum accepi, exaravi novas ad Dn. Gabrielem Sionitam, eisque adjunxi alias ad ipſum Grotium, quibus utrum-

que obteſtor, ut hoc meum deſiderium vel tandem expleant. Obſecro igitur commenda eas, una cum annexo faſciculo, fideli aurigæ, ut certò reddantur. Nil carius emitur, quàm quod tot expectationibus, votis ac precibus conſtat, nec ulla eſt moroſior mora, quàm quæ me tam diu hiante detinet. Sed nec D. Halbrechtus reſpondet. Extimulandus igitur peculiari ſchedâ. Dn. Springkleio proximè, quantum in mea tenuitate fuit, amicè feci, Tui cauſâ, imò Chriſti, cujus exul eſt. Quid D. E. actum ſit, è publica fama noſcetis ipſi: ô bone Jeſu, ſerva nos, & carum caput, meum Berneggerum, in longos annos vegetum felicemque. Dabam Tub. d. 26, Decemb. anni 1628.

Matth. Berneggerus Wilh. Schikarto.

SAlutem plurimam & ineuntis anni

ni feliciſſimum decurſum, ex animo tibi precor, Excellentiſſime mi Schickarde: Opportune allata ſunt, quæ curanda miſiſti. Nam & Buxtorfiana ipſo illo, quo venerunt, die Baſileam iverunt, & Pariſina poſtridie ſtatim commiſſa ſunt Kreſſio patricio Norico, ejusque præfecto Kislingo in Galliam proficiſcentibus, tibi, ut exiſtimo, non ignotis. Etiam D. Habrechto, tuas ad me, miſi legendas: & ſemel iterum de reſponſo moniturus, eum domi non reperi: ut eſt plerumque, præſertim per nundinas, occupatior. Non omittam tamen ipſum excitare. Tu vero pro jure tuo facis, imò rem mihi gratam præſtas, qui meam in his talibus operam non aſpernaris: quam utinam in gravioribus (nam iſta quidem levicula ſunt) tibi præſtandi daretur occaſio, ut debitam ita

prom-

promptiſſimam. Collata in Springkleium beneficia, mihi præſtita interpretor, de iisque maximas ago gratias. Quæ de D. Z. fama publica nunciat, ea omnes ſuſpenſos tenent: quia pertinent ad exemplum; nec dubitandum putem, quin unius incendium, deflagrationem iſtius ordinis aliis, minitetur. DEUS viderit cujus cauſa agitur. Hodie Cæſarei comiſſarii ad nos venient, incertum quid acturi, niſi quod de templorum repetitione & *Palatinorum exulum* ejectione ex urbe, ſpargitur ſine capite rumor. In his tantis concuſſionibus inconcuſſam atque tranquillam ſtudiis mentem impendere, ſanè quàm difficilimum. Tu tamen id facis, ut video, tuosq; labores ad poſteritatem ſpectantes ita ſtrenue perſequeris, ac ſi omnia ubique ſalva, omnia tranquilla. DEUM pre-

cor

cor; ut te porro, communi bono florentem valentemque ſervet. al e, deproperabam. Argent. 13. Januarii 1629.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickario S.P.D.

TAm diuturno deſiderio, quia tuo, ideo quoque meo, tandem aliquando ſatisfactum, eſt profecto quod gaudeam. Habes enim hic excellentiſſime Schickarte, petitos libros, à nobili quodam Auſtriaco heri mihi redditos, una cum literis ad me Grotianis. Rogat me Grotius, auctor tibi ſim, ut egregio illi libello de Rege Hebræo addas ſimilem de Synedrio, cujus ſpem feciſti, plurimum tibi nos omnes debituros eo nomine, & ſi quid præterea illius juris prudentiæ accedet, in qua multa adhuc lateant vulgo incognita, & uſus

ſus haud aſpernandi. Tu videris, nec enim opus habes admonitione mea, qui conſuetudinem optime de Seculo merendi pridem contraxiſti. Scripſit ad me nuper Dn. Ulricus Springenklee, Paſtor exul, tua & Venatoris noſtri venatione cervos nonnullos in ſua retia incidiſſe. Gratias ago, & mihi præſtitum agnoſco, quæ huic amico meo. V. Clar. Schickarte, fratris loco (niſi hoc nomen aſpernaris) mihi ſemper amate, ſemper amande. Argent. 13. Febr. 1629.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S.P.D.

QUamvis omnes Tuæ mihi meritò viſæ ſemper ſint ſuaviſſimæ, poſtrema tamen epiſtola, quæ diuturnio meo deſiderio fecit ſatis, adeò exhilaravit, ut quaſi extra me raptus, poſthabitâ illius diei cœnâ, non dormi-

dormiverim prius, quàm librum Sionitæ perlegerim totum. Scilicet juvabat videre; quomodo perſpicaciſſimus ille Arabiſmi interpres, ea loca reddiderit, in quibus ego dudum, velut mus in pice, anxius hæſitabam. Augebat lætitiam, quod nunc demum nactus eſſem integrum exemplar, nam Arabicum à noſtro Beſoldo hactenus commodato datum, carebat octo foliis, & quidem ubi minimè vellem. Cæterum, quanti vectura conſtiterit, quidve aliud meo nomine erogaris, nondum indicaſti: Quare torques animam meam? ſignifica, ut alieno me liberem ære. Quantum ad Ampliſs. Dn. Grotii, de Synedrio ſuaſionem; amplecterer equidem illam ulnis obviis, & qui antè illuc propendeo, tanti nunc viri judicio tàm benigno noviter animatus, ederem lubentiſ-

ſimè:

ſimè, ſi tempora eſſent mitiora; nec literariæ merces inter arma adeò ſpernerentur. Sed quia hoc rerum ſtatu Typographum reperire diffido, cogor differre, cum plurimis talibus, ad meliora fata. Nunc vale Vir Eminentiſſime! Fratris loco redamate, imò meimet ipſius. Quandoquidem hoc amabili, & ſæpè hactenus tacitè optato nomine me dignaris. Tubingæ, d. 25. Febr. 1629.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S. P. D.

PRo Grotianis tàm diligenter curatis, gratias ago, mi optime Berneggere! Relaturus quocunque officii genere potero. Animum addidit, ut illa de Synedrio, pridem affectata, pòſt iterum abjecta, ſuo tempore cogitem reaſſumere ac perficere. Quod ipſi Grotio reſcribam, aliâ

occa-

occaſione: nunc enim feſtinandum eſt, poſtquam totum ferè diem ruſticando prodegi in hortis. Significavit etiam Buxtorfius noſter, ſe Targum Perſicum hoc vere miſſurum ad Te Argentinam, ut inde huc dirigatur. Id cum evenerit, non dubitabo de amicâ, totiesque jam experta promptitudine. Itinerarium Vartomanni quod multa continet Orientalia, ſtudiis meis apta, hucuſque ex bibliotheca Beſoldi uſurpavi: ſed quia proprium habere percuperem, ubi liberè marginibus abuti liceret, quæſivi nuper Francofurti; at fruſtra. Si vobiſcum in bibliopoleis extaret, Latinum, aut vernaculum, vel (quod omninò mallem) Italicum, redimerem id quovis pretio. Da quæſo hanc operam, alicui puero vel ſtudioſo, ut mei gratia inquirat. Quod ſi quando ad noſtrum

ſtrum Buxtorfium ſcribis, rogat Falco, velis hanc ſchedulam inſerere. Cl.Buxtorf. in radice ערה nudari allegat ſeqq. Eſ.32.v.11. ערה Habacuc. 3.v.9. תעור nudabitur. Ergo in loco Jobis illuſtri c.19. עורי ואחר עורי potest eſſe infinitivus ab ערה, quo modo hic ſenſus commodè enaſcitur: Poſt עורי nudari-me, wann ich wider werde nacket ערם dahin fahren. Job. 1. v. 21. conſumentur Hæc (vel vermes) conſument Hoc, & tamen è carne mea &c. Vale feliciter Vir Excellentiſſime, ſalutatus peramanter. D.12.Apr.anni 1629.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Sal. & officioſum Amorem.

QUi has fert, Optime mi Berneggere, Dn. Fautor & amice multùm deſideratiſſime, Reütlingenſis eſt

eſt civis, nomine Matthæus Beger, opificio quidem tormentarius, ſed naturâ factus ad Mathemata, & hoc nomine Tibi pridem, ut opinor, notus. Is nempè, qui αὐτομάτως ac ſine præceptore, in virili jam ætate, linguas latinã & aliquot exoticas, hoc ſolo fine tentavit, ut genio ſuo Geometrico velificaretur. Iſte Neperianum ac mirabile inventum (quo per vicarios numeros, verorum proportiones facilè venamur) ſupputatis novis logarithmis, adeò adauxit, ut jam longè utibilius factum ſit: ſimul verò pro uſu Canonis, prolixas ſcripſit regulas idiomate vernaculo; quos in publicum emittere cogitat, ſi etiam Tibi, talium peritiſſimo ita videatur. Cum verò modi ſit neſcius, rogo ipſius nomine, velis illi ſaltem conſilio adeſſe, ac viam præmonſtrare, qua Dn. Bockenhofero,

vel

vel alteri cuidam bibliopolæ, unà cum ſuo labore innoteſcat. Cæterùm quoniam ad nundinas, certior Lutetiam aut Baſileam datur occaſio, adjunxi literas ad DD. Grotium & Buxtorfium: rogans, velis eas conſuetâ benevolentiâ curare. Denique ſi qua eſſet in Daſypodii ſchedis, vel Poli veſtratis aut alterius, vel alicujus Eclipſeos (nil refert, Solis an Lunæ: poſtquam Kepplerus nos etiam ſolaribus uti docuit) obſervatio, percuperem exinde ſola temporum momenta, & obſervationis numeros, fideliter exſcribi. Ut ex hiſce dedomenis cætera in meos uſus ipſe computarem. Nam Geographica quædam nunc me tenent. Aut, ſi quem noſti fortaſſis in Lotharingiâ, Helvetiâ, Burgundiâ, Sabaudia, &c. celebrem Mathematicum, & obſervandi peritum, præſertim

Lug-

Lugduni Galliæ (ut omnibus ferè doctis Europæ, familiaris eſſe diceris) quæſo per occaſiones explora mihi ſuarum urbium ſitus ratione cœli, ſaltem poli altitudines, ſi Eclipſes, rarius phænomenon, deſint. Aut doce modum, à quibusnam ipſe id impetrare queam. Solas hîc obſervationes quæro: Tabulas nil curo, quæ ob hoc ipſum, quia vitioſiſſimæ ſunt, hanc emendationem poſtulant. Vale Vir Clariſſime. Dab. Tubing. poſtr. Joh. B. A. 1629.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Salutem & Obſequium.

QUi has reddit, Excell. mi Berneggere, Dn Fautor optime! Bidembachius eſt, JCti apud nos frater; ambo autem Abbatis quondam Mulbrunnenſis filii: Iſte verò, juvenis, ut apparet, non impolitus. Is

cum apud vos negotia quædam habeat, puto non tàm ſuo, quàm alterius nomine expedienda, parùm Argentinam vidiſſe credit, niſi primarium ejus lumen, Te inquam, allocutus fuerit. Indulge igitur hoc ipſius curioſitati, & patere, ut & ipſe illam in te experiatur, quam publicè omnes prædicant, humanitatem. Sæpè quidem, fateor, ejusmodi commendatiunculis, meliores tuas occupationes interrumpo; & nuperrimè quoque, cum Begerus Reütlingenſis ad veſtras nundinas proficiſceretur; (quem reducem hactenus nondum vidi; exſpecto autem audire, an ipſi Tui copia ſit facta, tùm an literas Lutetiam curandi, data fuerit occaſio) ſed ſcis etiam aliquid amicis dandum, nec Te Tibi ſoli natum eſſe. Fac tantùm, ne dum vis omnibus prodeſſe, Tuus eſ-

ſe,

ſe, Tuorumque, nimis immaturè deſinas. Ita vale Amicorum apex. Dabam properanter Dnc. VI. Trinitat. anni 1629. Tubingæ.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

VIr eximie, amicorum ſelectiſſime. Ipſa illa negligentia mea reſpondendi, qua humaniſſimam tuam in ſcribendo diligentiam excepi hactenus, eſſe argumento poteſt, quam bene de conſtantiâ tuæ in me benevolentiæ ſperem. Ac ne nunc quidem forte rupturus eram ſilentium, niſi triſtes hæ Buxtorfii literæ tranſmittendæ fuiſſent. Inpoſterum tamen, ut primum non nullis moleſtiis quæ me tenent implicatum, exſolutus fuero, ad officium reverſurum promitto. Interea maximopere rogo pergas, quod facis, amare

me: nec dubites ſeu ſcribam, ſeu ſileam, eſſe te mihi ſemper in illo ſelectiorum amicorum annulo meo verè gemmam. V. Scr. Arg. 7. Oct. 1629.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S.P.D.

BUxtorfii, viri Neſtoreos annos vivere digni, ſubitaneum obitum, ex nuperis Tuis, Amice inter paucos prime! ah quam triſtis percepi! ſtatimq; cæteris noſtris ſignificavi, qui velut in publico luctu mecum rugas attraxerunt. Lanſius etiam epicedion ultrò ſtatim promiſit: Nunc verò, cum accenſis jam candelis tabellarius ex improviſo ſe craſtino mane ſummo abiturum indicat, vix audeo Viri quietem tàm ſerò turbare; nec ipſe ſatis ocii habeo prolixè ad ſuperſtitem, paternæ virtutis hæredem ex aſſe Filium, ſcribe-

ſcribere. Itaque Te (in quem officia mea ſæpè audacterque rejicere ſoleo) rogatum volo, ut præſens meum ſchediaſma Tuis ad ipſum literis, cum excuſatione temporis inſerere non graveris. Ita vale Tu nobis multò diuturnius, ac epiſtolarum raritati colores quærere vel ideò deſine, ne me ejusdem culpæ (ſi qua eſt) reum, graviùs ſic ſimul accuſes. Certior de Favore tuo ſum, quam ut ullum ſilentium ſuſpiciones mihi movere queat. Denuò vale Vir Eximie DEO commendatus. Tubing d. Galli. 1629.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S.P.D.

DUplices Tibi gratias debeo, Eminentiſſime Dn. Berneggere, idemque Fautor chariſſime, quod & de ſtatu tuo ſcribere aliquid es dignatus, poſt ſilentium paulò diuturnius

nius; & quod Grotianas tàm benevolè excerpſiſti: ad quas incluſis hiſce prolixius reſpondeo, atque ut per nundinas haud gravatim cures, officiosè rogo. Prius verò illud auditu eò fuit gravius, quò magis tibi Aquilinos aut lynceos oculos optarem. Quid verò mirum ſit, lippire hybernis noctibus, qui eas continuis lucubrationibus tranſigit? Obſecrò noli publicum ita procurare bonum, ut illud ipſum defraudes, dum te privatim perdis. Quin te ſerves potius longiori uſui! Ceterùm, ante menſem unum vel alterum ſcriptis literis oravi Ungarum illum, quem tibi domeſticum eſſe reſcivi, ut per occaſionem, patriæ ſuæ urbis poli elevationem, ab idoneis mihi impetraret: quod & meo propoſito utile ſit futurum, & ipſi Authori honorificum, adeoque deceat

ceat eum, quem de Ungariâ ſcripſiſſe aliquid, auditione acceperam. Poſtquam verò tàm diu nihil recipio, ſubdubitare incepi, an rectè ſatis meę ipſi traditæ ſint; quas vel ideò periiſſe nollem, quoniam alia Baſileam ſpectantia continebant, epicedium ſcilicet, à Lanſio noſtro in Buxtorfi obitum exaratum: quod meâ incuriâ intercidiſſe, ferret non æquè. Quæſo igitur hortare hominem, uti ſignificet, an quid acceperit, curaritvè? Quantum ad ſtudia noſtra: rectè conjectaris ardorem hoc turbulento patriæ ſtatu remittere. Facit enim ut crebrius de incerto hujus eventu, quam illorum ſerie cogitem: niſi quatenus has ipſas ſollicitudines dulcedine ſua leniunt. Deus Opt. Max. noſtri miſereatur, Tibiq; hunc añum, & plurimos ſequentes feliciſſimos eſſe jubeat! Amen!

Amen! fiat. Clariſſimum Dn. Habrechtum noſtrum officioſe ſalutari cupio. Feſtinanter Tubing. d. 29. Decemb. anni 1629.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S. P. D.

SAlve plurimum excellentiſſ. mi Schickarte, Quod vides, invitaris ad nuptias egregii Viri Dn. Jacobi Bartſchii, Medici & Mathematici, cum filia Keppleri noſtri, dotibus animi corporisque ſane quam ornatiſſima virgine, tantoq; patre omnino digna, propediem hic celebrandas. Etſi autem vel in nomine Keppleri ſatis ponderis eſt, ad te huc pertrahendum, cui nec gratius (ſat ſcio) nec honorificentius officium ullum præſtare potes: oportet tamen ut ſuperpondium aliquod addam precum mearũ, quibus, aut vehementer fal-

lor,

lor, hoc dabis, ut ne reipubl. huic, ne Academiæ, ne mihi denique negēs deſideratiſſimum tuum conſpectum. Audeo etiam ſperare ſummorum virorum Beſoldi & Lanſii præſentiam. Sed tuam ita ſpero, ut nihil quicquam dubitem. Sponſus rogavit, aut rogabit certè, carmen epithalamion: quale ſi etiam à Lanſio impetraris, beneficium duplicaveris. V.Cl. Joachimus Morſius hic eſt, qui te cum officiosè ſalutat, tum rogat, ut additam epiſtolam per occaſionem curare ne graveris. V.Scr. Argent, 9 Febr. 1630.

Wilh. Schickartus Matth. Bernegero Sal. & Obſervantiam.

EMinentiſſime Vir, Amice primatie. Si ab eo tempore, quo Epithalamion miſi, ad recentiores Tuas nihil reſpondi, non miraberis; ne-

que enim domo adfui; ſed jam ultra menſem, univerſam verè Würtembergiam oppidatim obequitavi, Scholas viſitare juſſus. Et parum abfuit, cum Kinzgianæ valli appropinquarem, quin ad Te uſque Argentoratum excurriſſem: nec tàm viarum pericula deteruerunt, quàm excluſit præſcripta temporis brevitas. Dabo autem operam, ut futuro anno, ſi vixerimus, Fredenſtadio ad Te digrediar: hoc enim, cum id officii primò mihi delatum fuit, nimis ſero ſignificatum erat. Nunc poſtquam reverſus ſum, febris me corripuit, ardentiſſima quidem, ſed brevis, quæ totis 6. horis anticipans, periodum ſuam unicâ hebdomade abſolvit. Nec ſupereſt, niſi ut oculum curem dextrum, quem acrimonia cholerici vaporis erodere tentavit, ut vehementer lippiam, nec proli-

xiori

xiori ſcriptioni ſufficiam. Quod Mütſchelinus αὐτόπτης novit, qui cætera coram ediſſeret. Vale Tu Vir Cl. multò felicius: & apud magnum Grotium, per dictas cauſas excuſa incivile meum ſilentium. Redibo proxime ad officium. De Filio tuo ſignifica voluntatem tuam apertius, antequam mittas. Utinam haberem ego parilis ætatis gnatum! ah quam exoptata mihi foret ea permutatio! At meus vix dum quinquennis eſt. Nam quos adultiores habui, omnes jam ex hac mortalitate migrârunt. Ea nunc eſt morum corruptio, etiam hîc (fateor enim tibi, quem decipi, vehementer nollem) ut cautiſſimâ cautione ſit opus. Cogitabo amplius, & ſcribam proxime. Vale Tubing. d. 2. Maii. an. 1630.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

VIrorum eximie. Die 2. Martii proximo Bartſchius noſter hîc celebravit nuptias, ad quas & ipſius, & meis quoque literis vocatus cum aliis fuiſti. Eas literas an tabellarius quidam Auſtriacus, cui commiſſæ ſunt, rectè reddiderit, non abre dubitamus. Illas inprimis periiſſe nolim, quas à Morſio ad Val. Andreæ Calvvam curandas, tuis incluſeram. utut ſit, abſentiam tuam ſatis excuſant, imò probant, hæc temporum pericula. Sanè tam & publicè & mihi carum caput eſſe ſalvum cum publici boni, cui tu natus es, tum mea etiam, qui vix ullum te chariorem habeo, plurimum intereſt. Aliàs exoptavi ſanè præſentiam tuam, ea præcipuè causâ, ut in conſilium adhibe-

hiberem, cum de filii mei 17. annorum adoleſcentis ſtudiis, quem cuperem æſtate proxima mittere Tubingam, & cum veſtrate aliquo mecum victuro permutare: tum etiam de meo quodam inſtituto, frigentibus auditoriis publicis, autores nonnullos edendi: ſed iſta per literas etiam confici poſſunt: & niſi grave hoc tibi futurum eſt, primò quovis tempore conficiam. Interim optimè Vale, iterumque ſalve ab omnibus modis Tuo M.B.Scrib. Argent. 18. Maii 1630.

P. S.

DE donato exemplari deſcriptionis miraculi gratias ago maximas. Auidiſſimè legerunt illud præcipuæ apud nos autoritatis viri, cum penes me eſſe innotuiſſet. Si ty-

pographus aliquam multa exemplaria tum huc miſiſſet, poterat operæ pretium non aſpernandum facere. Sed è mercatu Francofurt. credo plura adferentur: & oportet ut aliud mihi comparem. Nam quod beneficio tuo habeo, tot lectorum manibus omnino detritum eſt.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

VEnator noſter vitam Gruteri, diu jam eſt cum edere parat: eáque in rem non ita pridem oravit ſubmitterem ſibi, quæ in pugillaribus meis, ex colloquiis cum illo ſummo viro, cum in thermis ferinis ante hoc triennium unâ eſſemus annotaſſe me ſciret. Feci, & inter exſcribendum etiam incidi in hæc ad te pertinentia, quæ adſcribam αὐτολεξεί. *Schickartum detrudi ad operas humilio-*

miliores ingenio ſuo, ad magna nato, potius eſſe liberandum omni labore, ut unis ſtudiis vacare poßit. Dictorum fidem epiſtola tua facit. Quid enim? nemo Tubingæ præter Schickartum erat, qui ſcholas viſitaturus, Würtembergiam univerſam obequitaret? Fructus operæ publicus ille quidem & per magnus, ſed major interim alius impeditus. Quamquam non ego cenſor actionum veſtrarum. Me beatum prædicaverim, ſi denuo te nobis errores iſti propius admoverent, nec enim excurrere ad te pigrabor, ſi id mihi ſignificaveris: ſin ipſe veneris (id quod ſemper optavi: nunc etiam ex tuis ſperare incipio) faxo coram experiare, nemini me in te amando, colendoque concedere. Quod filium meum cum aliquo Tubingenſi permutare cupio, tui fit unius cauſa, quem ei docto-

doctorem contingere tam exopto, ut vix quicquam in vita magis: non quod ei peculiare tẽpus abs te tribui velim (abſit ut in com̃oda publica ſic peccem) verũ ut ipſum cæteris, quos in Matheſi privatim inſtituere ſubinde te ſolere audio, ſocium adjungi patiare. Non deſinam id ipſum à te precibus contendere, futurus, quod tenuitas ferat mea, reipſa gratus. Quanquam hoc rerum ſtatu, vel ἀκαταστασίᾳ potius, vix conſultum eſt, aliò meum ablegare. Cum tempeſtas illa non nihil deſævierit, amplius tecum per literas agam. Interim amare me, quod facis, perge, & vale, Muſarum delicium, ſeculi magnum ornamentum. 21. Maii 1630.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S.P.

F[illegible]liſſime Amicorum. Quam de Filio nobis olim huc mittendo ſpem,

ſpem feciſti, e-
quidem gratiſ-
ſima fuit, vel
hoc ſolo no-
mine, ut cujus
parentẽ ama
vi tàm diu, cũ
quoq; ample-
ctar ipſum. Re-
ctè verò differs
adventum illi-
us, donec in
certa tẽpeſtas
iſta deſævierit.
Interim ſigni-
fico Tibi Ma-
thematico,
qualis nupera
Eclipſis appa-
ruerit hic Tu-
bingæ, ſub po-
lo B. 48. 34'. cu-
jus mihi tres
tan-



tantùm phaſes inter nubila obvenerunt. Prima cum Solis centrum C. 8 gr. 58. min. altum eſſet, terminabatur umbra inter E. vigeſimum & I. ſexageſimum gradum limbi, ab A. vertice perpendiculi dextrorſum diviſi; ſic ut linea C. F. quæ centra luminarium connectit, 40. gr. inclinaretur. Videbatur tunc non omninò integer digitus deficere, ſcilicet in ſpecie, qualis intus in opaco conclavi excepta erat. Abſterſo autem circumquaq; ſuperfluo lumine, quod ſcil. pro ſemidiametro feneſtellæ, hoc eſt, quantitate A B circumfuderat, relinquitur vera lux minor, defectus verò G H, paulò major digito. Altera phaſis. Sole ad 8 gr. 35. mi. deſcendente (h. e. ſubtractâ refractione 8. gr. 24. mi. Hora nempè 6, mi. 56.) limites defectûs erant M. N. 15. & 65. gr. ita ut inclinatio adhuc ferè 40.

gr.

gr. nec ſenſibiliter à priori differret. Putabatur tunc ſeſquidigitus deficere, ſed correcto ſchemate ſecundum opticas leges, deprehenditur O.P. fuiſſe potius $1\frac{3}{4}$. digitorum. Deinde diuturnæ nubes impedierunt obſervationem. Deniq; cum Sol poſt montes occubiturus, 3 gr. 20 mi. elevatus eſſet, habuit ejusmodi falcatam formam, cornibus R.V. obtuſis ob dictam cauſam. Verior tamen ſpecies, circa T.S. vix ſemiſſem digiti lata erat. Apparuit tunc evidentiſſimè, quod erret Tycho, dum Lunæ ſemidametrum Solari ſtatuit in ☌ minorem. Notum eſt enim ex Elementis Geometricis, ſi duo circuli, æquales tantùm, ſeſe ſecent, puncta ſectionum cadere trans centrum: nedum ſi alter interior ſit minor. At hîc R.V. fuerunt citra punctum W. ergo arcus R T V amplior

eſt

eſt arcu R S V, & ſemidiameter illius X T excedit hunc W S. Expecto autem avidè à veſtratibus Aſtrophilis, præſertim qui viſu pollent, atque inſtrumentis inſtructi ſunt, qualis apparuerit hæc Eclipſis ibi ſub cœlo ſereniori. Non dubito, quin Clariſs. D. Habrechtus attenderit. Exora illum quæſo, nomine meo, ut obſervata ſua non gravatim communicet. Item Dn. Remum; aut ſi quem alium noſti, huic ſpeculationi deditum, in limite Gallicano. Plurimùm enim juvaret ea collatio meos conatus, atque ſuppleret id, quod mihi nubes inviderunt. Ita vale Vir Excellentiſs. Amice conſtantiſſime. Nec iraſcere importunitati meæ, quod iterum Te, pro curandis meis literulis, abutor. Exiſtimavi nundinarum occaſione, unas Lutetiam ad Grotium, alteras Baſileam ad Buxtorfium,

torſium, commodè perferri poſſe. Tubingæ. poſtrid. Jubil. Aug. Confeſs. ſc. 26. Jun. an. 1630.

Matth. Berneggerus Wilh. *Schickarto S.P.D.*

MIchaelem hunc Schneiderum Iſlebienſem Philoſophiæ Magiſtrum, Theologiæ Studioſum ignotum quidem mihi, ſed à notis & amicis valdè commendatum, Tibi virorum eximio, ſtudioſorum, adeoque bonorum omnium certiſſimo patrono, quàm diligentiſſimè commendo. Hoc tantum. Oppreſſit enim me aliis intentum rebus ipſe in viam præceps. Tuas ad Grotium, ad Buxtorfium, ea ipſa prope hora qua accepi, recte curavi. Apographum obſervationis tuæ Eclipticæ Lutetiam ad egregium virum, taliumq; curioſum, Dn. Diodatum (Geneuen-

ſis

ſis illius Theologi fratrem) miſit æſtimator , ingenii tui Ampliſſimus Lingelshemius. Per Welperum noſtrum (cujus ecce manum) ibit etiam ad Dn. Remum. Quin & Habrechto tuas oſtendi curavi, & ut ſua viciſſim tibi mitteret, oravi. Sed à mirifico homine, & ut opinionum, ſic rerum omnium tenaciſſimo nihil obtinui. Memini ſcripſiſſe te de tranſmiſſo D. Bartſchii epithalamio. atque ego nullum accepi : & ipſe jam exigit. Quæſo mitte vel ipſi, vel mihi, ſi ſuppetit adhuc exemplum. V. Τάχιστα. Argentorati. 5. Julii 1630.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Sal. & Pacem.

PRæclariſs. Dn. Berneggere, Amicorum fidiſſime. Quas tuâ manu ſcriptas, heri Stutgardia ego accepi, Roſvvaldam citiſſimè curabo. Hodie

die occaſionem nondum reſciſcere potui, ſpero tamen proximè affuturam. Adjunctæ fuerunt Grotianæ una cum libro Gram̃. Turcicæ, Lutetiâ miſſo mihi acceptiſſimo. An Tu idem, vel quis alius Stutgardiam promoverit, tabellio dicere non potuit: Quiſquis fuerit, certè illi me obligatum ſentio, optaremque ſciret fideliter eſſe redditas. Cæterùm quo ſtatu res noſtræ verſentur, vix abſq; lachrymis referre poſſum. Ablata ſunt omnia cœnobia, & nudius quartus etiam proximum Bebenhuſanum, unde primarium oppidi noſtri templum dependet, cui jam quoque metuimus. Ejecti ſunt Studioſi, ac jam miſere paſſim diſpalantur. Qui verò hîc in illuſtri ſtipendio vivebant (olim Auguſtiniana domo, nondum occupatâ) in vacationem abire juſſi ſunt ante ſolitum tempus;
uti-

utinam non æternam! nullâ ſpe reditûs factâ. Ruſtici jam Abbatibus homagium præſtiterunt, invitiſſimi quidem, ſed militari manu adacti. Templa eorum obſignata, paſtoribus ne quem baptizent aut ſolentur interdictum. Inde ad concionem urbicam hodiè confluxerunt hûc è pagis numeroſiſſimi, ejulantesque. Inſtituta quidem, & hodiè primùm indicta eſt pœnitentia publica, & conventus quotidiani: ſed vereor ut omnibus cordi ſit ſatis, adeò inter medias pœnas duri & ſecuri ſunt. Ego tacitè mecum conſilia (quæ tibi revelare nil dubito) agitare cogor, de receſſu in alia loca, ſi religionis cauſa hîc morari diutiùs non poſſem. Cætera enim univerſa, quantumvis dura, lubens perpetiar, unum hoc ſalutis & conſcientiæ negotium, vel ad extremas me Garamantas

fuga-

fugabit. Audivi autem non ſemel Baſileæ habitari commodè, ob vilitatem annonæ, ipſumque locum eſſe amœnum; an æquè ſalubrem, poſt ſedatam peſtem, neſcio! nec incolas inhumanos advenis. Verùm ſpeculabor prius rei eventum. Interea reculas meas, quantum potero, componam. Prædiola, vineæ & hortus, quibus hactenus delectabar, difficulter jam vendentur, nec cenſus exiguntur facilius. Supereſt aliquid præſentis pecuniolæ, quo uxorem & 4. liberos biennio circiter alere poſſe confido. Donec DEUS aliter proſpiciat. Sed hæc Amice in tuam aurem, imò ſinum. Faxit DEUS ſupervacaneæ ſint hæ cogitationes: Cui Te devotiſſime commendo. D. Bartſchii Epithalamion, quod de ♂ ♀ ☿ nón cœleſti quidem, ſed domeſtica luſiſſe memini, inter tot ſchedas

 con-

confuſiſſime disjectas, non ſtatim reperio, neque jam præ aliis occupationibus vacat refingere. Feſtinanter ☉ 12. Sept. anni 1630.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

VIr eximie, fautorum amiciſſim. alpha. Cum ad proximas triſtes illas tuas reſponſum tabellarius à me poſceret, in alia diſtracto ſcribere non vacabat. Quo cupidius huic egregie docto viro *Dn.* Joachimo Cunradi, Hamburgenſi Juris utriuſque Licentiato, commendatitias ad te roganti nunc obſequor. Is nuper in Academia noſtra, ſuo magno merito, illo titulo ornatus, veſtram quoque per tempus aliquod incolere, & iſthic viris magnis innoteſcere cupit: ad tuam præcipue familiaritatem aſpirat, qua eum dignum, nec dubito, cenſebis, ſi quod obnixe rogo,

rogo, admiſſum ad alloquium penitus cognoſcere dignaberis. Eſt, ne & hoc ſileam, in re lauta, ut ſolent Hamburgenſes, & quod non omnes ſolent, ſatis liberalis. Libros Eraſmi, cujus & admirator & imitator egregius eſt, operoſe conquirit: quæ etiam, non tamen è præcipuis, hujus itineris cauſa eſt. præcipuam ipſe, cum aliquantum in familiaritate progreſſi fueritis, aperiet. Quicquid ei benevolentiæ & officiorum, & ipſe, & viri magnifici ſummique D. Beſoldus & D. Lanſius (quos peroſficiosè ſaluto, his denique eundem per te commendo) præſtiteritis, mihi præſtitum exiſtimabo. In malis illis veſtris meum fuerit, aliquid ſolatii conferre, ſed & tua ipſius prudentia conſtantiaque pluſquam ego queam, eriget: & ipſi nos, adflatu vicini fulguris nonnihil conſternati alieno ſolatio egemus. Quanquam

ea nunc rerum facies eſt, ut non nimis diuturnum videatur improborum hominum gaudium futurum. Si quæ tamen fortuna (quod abominor) te tuis ſedibus expulerit, meas ædes ſemper tibi tuisque patentes futuras (en dextra fidesque) promitto, ſatis amplas, quod hic teſtari poteſt αὐτόπτης: & ſi vel anguſtæ forent, nobis in hac conjunctione noſtra ſuffecturas, tibique & gratum & gratuitum, quandiu voles, hoſpitium præbituras. V. 10. Octo. 1630.

Wilh. Schickartus Matth. Berneg- Sal. & obſervantai!

TEr optime Berneggere. Quas Eraſmianus ille Hamburgenſis attulit, rectè accepi. Fuit idem plenior interpres benevolentiſſimæ Tuæ in me affectionis, de qua nunquam tamen dubitavi. Quod verò,

in eventum, ædes etiam offers, agnoſco quidem ſuperabundantiam dilectionis, & gratam habeo: ſed crede mihi, nunquam hoc acceptarem: adeò mallem vel apud peregriniſſimos habitare, quàm Amicis moleſtiam faceſſere ullo modo. Ut taceam nondum decreviſſe mecum, an Argentinæ potius, quàm Baſileæ mihi degere aliquantiſper conduceret, ob cauſas privatim notas. Exorandus eſt DEUS, ut omne hoc, quod metuimus miſeri, clementer averruncet. Cæterùm, aliud nunc eſt, quod reſcire percuperem: ubi D. Bartſchius noſter tàm diu lateat? Quando ſpes ſit à ſocero reverſurũ? avidiſſimè enim illius præſentiam propiorem deſidero, propter Mathematica quædam, quæ nunc molior; ut cum ipſo comunicem priùs, quàm edam, quia D. Kepplerus nimis longinquus eſt. D. Mœſtlinus

 vero

vero (licet quotidiè ad manum habeam) ipſo ſenio jam pertœſus talium. Res attinet motum Lunæ, in quo maximos errores deprehendo, præſertim in latitudinibus, adeò ut totis decem gradibus (immane dictu) etiam Tycho, etiam Rudolphinæ peccent, in deſignandis ☊☋ veris locis: quod non Eclipſibus modo, ſed omni calculo ☽ extra Syzygias vehementer officit. Confido rem perſpicaciſſimis Aſtronomis probare poſſe. Diu jam inſidiatus Eclipſi proximæ, ſed jam pene conſpectum ejus deſperavi, poſtquam experior, totas hebdomadas continuè nobiſcum obnubilari cœlos. Obſecrò igitur, ſi vobis ſecuturo d. 9. nov. aura ſit futura ſerenior, velitis deliquii circumſtantias, maximè temporum & digitorum quantitates, mihi benevolenter impertiri. Ita vale Tu, Vir præclariſſime, ſidus

in

in literario cœlo fulgentiſſimum, nec unquam coruſcare nobis deſine. Dab. feſtinanter. Tubing. d. 5. Novemb. anni 1630.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S. P. D.

OPpreſſit me tabellarius in abitum jam præceps. Itaque hoc tantum. D. Bartſchius vere proximo conſtituit ad nos redire & ſedem rerum ſuarum hic figere, ſuo ſucco victurus, opinor, uſque dum ſalarium procedat: Quod ſi tamen interim ad eum ſcribere placet, diligenter curaturum recipio. Dn. Remus Sereniſſimi Leopoldi Mathematicus, & ipſe molitur aſtronomicas tabulas, Rudolphinis, ut ait, multo exactiores, & in eam rem undequaque colligit obſervationes Eclipſium ἀγαθὴ δ' ἔρις τε βροτοῖσι fuerit, ſi tua quoque acceſſerint, cujus

ab ingenio nil niſi conſummatum proficiſci ſolet. Ego pridem ab his verè deliciis excluſiſſimus, & ad neſcio quæ detruſus, Eclipſin proximam obiter tantùm vidi, cœlo ſereniſſimo: nec Welperus quoq; noſter cum cura. Vide tamen quid is, rogatu meo, in hanc chartulam conjecerit, & Vale interimq; ſalve ab eo, cujus manum noſti, & animum, tui, ſi quis alius, obſervantiſs. amantiſſimum. 10. Nov. 1630.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Salutem & incolumitatem.

QUod ſiccis oculis vix tibi ſignificare poſſum, Præclariſſime Dn. Berneggere, Amicorum fidiſſime, diſſimulare tamen haud debeo, communem, heu quondam! noſtrum Kepplerum, illud Mathematici Cœli ſidus primæ magnitudinis, occubuiſſe, ac mortalitatis horizontem

ſubi-

ſubiiſſe, proxima die ₁₅. Novembr. Ratiſponæ, ibidemq; ſepultum pridie Lunaris Eclipſeos; ut nempe coram ſupra luſtraret, quod nobis humi toties monſtravit atque prædixit etiam. O quàm inæſtimabile damnum paſſæ ſunt hæ literæ incomparabilis viri abitu! Ac niſi Bartſchius aliquis, conatuum conſcius, & peritus ſchedarum hæres, ſemiperfectas inventiones abſolvat, fraudabitur poſteritas maximo nobilium ſpeculationum proventu. Quis verò Hipparchum edet? Quis obſervationum protocolla? Ephemerides enim doleo minus, quia è Tab. jam extantibus, à quovis computari poſſunt: illi verò tot vigiliarum fructus, non æquè parabiles. Cæterùm fatalis hujus Eclipſeως initium ſpectavi ego hîc Tubingæ, cum ♃ Meridianum prætergreſſus, elevaretur 18. gr.

 58.min.

min.58. quod fuit nobis hor.9.mi.37.
p.m.cætera ſimiliter notavi, ſed cal-
culos præ mœrore nondum ſubdu-
xi: communicabo tamen aliàs, ubi
ad me rediero. Interim à veſtratibus
expecto momenta obſervationum
Argentinenſium: aut ſi aliunde ab
amicis etiam extraneis impetrare
meo nomine poſſis. Obſecro ſume
hanc operam, & conquire publicos
in uſus undecunque potes. Nemi-
nis honorem reticebo, in eo ad quod
talia deſtino, geographico opuſculo.
Vale feliciter, diutiſſime, ſuaviſſi-
me. Sæpius jam à D. D. Lanſio reſa-
lutari officiosè juſſus es. Quod ſi
proximè per incuriam fortè inter-
miſi, nunc præſto. Velim etiam Cl.
& Exc. D. D Habrechtus (poſt ſalu-
tis denunciationem) Ariſtarchi no-
ſtri obitum reſciſcat. Valete denuò.
Deproper. Tub. d. 15. Nov. an. 1630.

Wilh.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S.P.D.

EXcellentiſſime, idemque optime Dn. Berneggere, Amicorum prime. Conſilio tuo mihi opus eſt, in re, qua te pollere unum, ſcio ſatis. Nactus ſum nuper librum qui πορτολάνος inſcribitur, excuſum Venetiis ann. 1573, lingua recenti Græco-barbarâ. Tractat is idem ferè in littoralibus locis, quod itinerarium Antonini in Mediterraneis; ideoque inſtituto meo Geographico mirè prodeſſet, ſi intelligerem penitus: at quia nauticus eſt, & vocabulis utitur, quæ apud Meurſium nuſquam extant (cui ne Authoris quidem nomen innotuiſſe miror, cum tamen id argumenti ex profeſſo tractârit.) Metrophanes verò, etiamſi fortè Venetiis adhuc hæreat, nimis tamen remotus eſt, itaque ad Te itur, quem

in hiſce literis, ſine rivali, exercita-tiſſimum eſſe conſtat. Te mihi Apollinem poſco, qui oracula hæc exponas, atque ſubleves, ubi ego labaſco. Non fatigabo quidem nimia petacitate, quod improbum foret, hominem publico bono deſtinatum, privatim diſtinere, ſed rogabo ſaltem obſcuriora, & ſciſcitabor de illis quæ me maximè remorantur. Atq; ut collationem inſtituere commodius liceat, ante omnia ſcire pervelim, an eundem librum in bibliothecâ tuâ inſtructiſſima poſſideas, ut paginas allegare poſſim? aut ſi non extat Argentinæ, loca dubia exſcribere ſciam. Ubi alterutrum reſcivero, rem aggrediemur. Nunc verò accipis ſchedulam, quæ ad Lunaris Theoriæ ſchema meum pertinet. Ipſius picturæ exemplaria nondum habeo, ſed ſuppeditabit haud gra-

vatim

vatim ſculptor veſtrâs. Simul itineris compendio, ne bis eandem viam inter nos emetiri opus habeat. Si mihi cum Exc. D. Remo notitia intercederet, aut te proxenetam exorare liceret, optarem ad ipſum quoque aliquod pervenire, hoc unicò fine ut cenſeret liberrimè, adeoq; Mathematicè; præſertim ut de paradoxo circa latitudines, ejus exquirerem ſententiam, quem ſimilia moliri ſignificas, Vale Vir Clariſſ. felix, & conatui græcanico fave. Deprop. Tubing. die 14. Febr. anni 1631.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S. P. D.

EXimie vir amicorum Alpha, Heri Ampliſſimus D. Lingelshemius ad me miſit binas litteras Baſileâ ſibi tranſmiſſas, unas à Buxtorfio noſtro, alteras à Kepplero. Keppleri

priores ſegi, quod plus mihi curæ eſſent. nam iſthic æris alieni difficultatibus laborat, in quibus opem meam implorat jam aliquoties. Aperui deinde Buxtorfianas quoque, nam & has ad me pertinere credebam. Ac primum iratus illi Hamburgenſi Licentiato, cujus ab initio fit mentio, quod priores non cum fide reddidiſſet, ad Hamburgenſes domus meæ incolas iturio perquiſitum, quis aut ubi ſit ille Licentiatus. Dum legendo pergo, magis ipſe ſuccenſeo, quia animadverterem per incuriam reſignatas à me literas alienas, id eſt, tuas. Non operosè facinus excuſo; nec culpam, ſi qua culpa, deprecor, qui ſcio facilitatem æquitatemque tuam. A tribus jam ſeptimanis gravi valetudine oculorum oppreſſus fui, quæ per Dei gratiam & medicorum opem in melius

ire

ire incipit. Vale Vir & amice magne. Scr. Argent. 1631. 25. April.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Sal. & Amorem.

VIr Præclariſſ. Amicorum primicerie. Ut intelligat Buxtorfius, ſuas mihi rectè curatas, per te ipſum mitti volo reſponſum, quem aliàs meis fatigare non deceret. Opportunè verò Junioris Keppleri mentionem feciſti. Obſecrò quid habes de ſtatu matris viduæ? an Sagani perſiſtet? aut Fridlandus gratiam pupillis etiam prorogat, quod equidem defuncti virtus & eruditio mereretur. Item ubi tamdiu D. Bartſchius! ecquando revertetur ad profeſſionem ſibi vobiſcum deſtinatum? ex reduce aveo ſcire, quid de poſthumis Uranicis ſperandum ſit. Nupera Eclipſis mihi

non eſt ſpectata, ob tempeſtatem ipſo temporis articulo atrociter hic ſævientem. Quod ſi D. Remus cœlo uſus fuiſſet ſereniori, & tuâ interceſſione, momenta, cum quantitate defectûs communicâret, obligaret me viciſſim, ad idem faciendum in ſimilibus, quæ hîc obſervavi hactenus non ſomnolenter. Nunc talia quidem ad tempus ſeponere jubet novus labor hiſce diebus mihi obortus, in deſcribendo Abulfeda Geographo apud Arabes celebratiſſimo, cujus exemplar MS. Viennâ mihi nuperrimè commodatò demiſſum eſt: dignum certè, quod aliquando latinè legatur, cui fini hoc onus in me recepi. Dn. Chriſtiano Stutgardio, Dano, Med. Cand. per occaſionem dicito, me rem conterranei ſui diligenter curaturum. Vale Amiciſſ. Dn. Berneggere, & ſi

oculo

oculos diu ſalvos cupis, à nimia lectione tibi tempera. De prop. d. 23. Maii. an. 1631. Tubingæ.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S. P. D.

VIrorum & Amicorum egregie. Non debet iterum abſque meo ad tuas reſponſo abire tabellarius. Eram nuper occupatior, quam ut id officii præſtare poſſem, ignoſce. De Kepplerianis rebus vix quicqā ſcio, niſi quod memini D. Bartſchium pridem ſcripſiſſe, ad excudendas obſervationes Tychonicas & cetera, Fridlandium Ducem, ob mutatum rerum ſuarum ſtatum, ſumptus non amplius eſſe ſuppeditaturum. Ipſe interim ſuis, ut ſcribit, ſumptibus excudit tabulas haſce Logarithmicas; Habeto & exemplum epithalamiorum, quorum aliqua mihi miſſa in-

ter

ter collegas diſtribuenda, quod non feci tamen, cum aliis de cauſis, tum ea præcipue, quod perſcriptum deſignati Profeſſoris titulum, etſi verum, tamen ægris oculis, anteceſſorem adhuc vivum valentemque & paucos quoſdam alios huic deſignationi parum æquos, aſpecturos eſſe ſcirem. Statuerat ad nos cum ſuis venire præterito Paſchate. Suaſi ne ſine Scholarcharum præſcitu & conſenſu id faceret. Significavi etiàm, vix ſpem eſſe Salarii extraordinarii obtinendi: cum etiam ordinaria in hac temporum difficultate ægrè ſolvantur. Si venerit, vel potius cum venerit, primus ex me ſcies. Ex Welpero noſtro cognovi, D. Remum Cæſarei Mathematici titulum, poſt Kepplerum, ambiturum, ni putaret, D. Bartſchium ſuis votis obſtiturum eſſe. Sed eum hac de re ſecurum eſſe juſſi. Biennium effluxit, & ultrà,
cum

cum Clariſſ. Dn. Rauſchero ex tomis genealogicis Henningicis unum rogatus tranſmiſi. Rogo moneas aut ipſe per occaſionem, aut per miniſtrum, ut remittat. Egregio viro (quem perofficioſe ſaluto) libentiſſime gratificarer ulterius, niſi turbatiſſimus hic rerum ſtatus de vaſis, quaſi colligendis moneret, V. 21. Jun. 1631.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S.P.D.

EXimie Vir, Amimicorum Prime! Doleo vicem Keppleri noſtri, quod à ſuis tam longe diſſitis, adeò negligitur, & ſortem ipſius conſolor incluſis literis. Quodſi D. Bartſchius eſſet propior, ſpero non deforet ipſi. Cæterùm accepi exemplar Tabularum ejus & valde gratum fuit, inſpiciundi copiam fuiſſe datam

datam, adeoque jam ſtatim remitterem, niſi propter viarum pericula nondum eſſet ſatis tutum. Rogo igitur hanc moram feras benigne. Hæc ipſa etiam cauſa eſt, cur Collega meus Rauſcherus, concreditum ſibi abs te librum, & mundè hactenus habitum, tabellario tradere nondum audet: Viæ nimirum undique prædatoribus militibus repletæ ſunt, ut ne portas quidem oppidi ſecure liceat egredi, adeo ſpoliant quoſvis obvios, in conſpectu noſtro. Heri Syndicum Academiæ capillis per amnem crudeliter tractū privarunt ſuo & comitis equo: hodie Pharmacopœi miniſtrum in ſuburbano horto plantam pro medicina quærentem pallio exuerunt & pileo, taliaque ſingulis pene horis contingunt. Oportet expectare, donec iſta tempeſtas deſeviat prorſus

tus. Quomodo autem Tubinga noſtra, & ſimul omnis Ducatus Würtembergicus in fidem Cæſaris, prid. Kalendas Julias, Comiti Fürſtenbergico: viginti millibus nos adorienti, dedita ſit, ex publica fama procul dubio noſces. Accidit hoc plane præter meam & plerorumque noſtrorum ſpem. Cum enim hoſtem trans Nicrum caſtra metantem, & omnia ad oppugnationem expedientem cerneremus, noſtros vero cis flumen in aciem diſponi, tormenta dirigi, quid aliud niſi rem ſeriam expectaſſem? amovi ergo paulo ante uxorem atque liberos, ne ipſorum ejulatu animus meus emolliretur, inque aliam urbem Hohenbergicæ ditionis tranſtuli, ego autem, DEO me commendans, omnem eventum ſollicitus expectavi. Sed gaudeo nunc maxime Bibliothecam

thecam mihi ſalvam manſiſſe. Nam quod ædiculam in horto meo ſunt demoliti, quod abegerunt pecora mea, quod alia damna dederunt, id multo æquius fero. Audio tamen Veſtrates male de nobis loqui, quod fortunæ ceſſerimus! Verum, annon prudentis eſt Gubernatoris, vaſa potius mari immergere, quam certiſſimum ſubire naufragium? aut Chirurgi, ſecare pedem potius quam totum corpus pereat. Vires noſtræ multo erant inferiores hoſtilibus, milites tantum quindecim mille, & equitatus vix ſubtriplus illorum. Inſuper auxilia vicinorum nos deſtituebant. Ita miſere mactandi fuiſſemus, niſi DEUS conſilia ſaniora ſuggeſſiſſet. Vale Vir Excellentiſſime, d. 18. Jul. 1631.

Matth.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S. P. D.

QUod bona cum pace tua, virorum eximie, factum puto, monſtravi proximam epiſtolam tuam amicis nonnullis, eo fine, ut quam fama ſequior de ſtatu rerum veſtrarum opinionem, in animis noſtrorum hominum defixerat, & ipſis, & per eos aliis, quantum in me eſt, exemerim. Etſi namque regium eſt, ut inquit ille, cum bene facias, male audire: puto tamen intereſſe publice, omnesque bonos in id elaborare debere, ut magnatibus autoritas & exiſtimatio ſua conſtet. Kepleri noſtri ſtatum, nunc nobiſcum agentis, ex ipſiusmet reſponſione cognoſces. Baſileenſes ob inopinatum ejus abitum iratos, ſic ſatis placavi, datisque ad Magnificum Recto-

Rectorem literis promiſi, non niſi ſolutis Baſileenſium debitis omnibus eum ex urbe me dimiſſurum. Quæ promiſſio ne forte mihi fraudi ſit, apud ipſius cognatos, ſi qua potes quæſo procura, & quod facis, amare me perge, ſic tamen ut amorem pectore ſerves potius, quam invidioſis titulis, ad quos, ob tenuitatis meæ conſcientiam erubeſcendum mihi ſit, exprimas. V. 26. Jul. 1631.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

QUi has tibi reddit, eximie Vir, amicorum Alpha, Michael Heinmannus Sonnbergenſis Francus, philoſophiæ ſtudioſus, de conſilio juſſuve ſui parentis ad veſtram Academiam abiturus, ad te commendatitias me rogavit: nec ei negandas duxi, tum quia meretur hone-

honeſtiſſimus juvenis & à biennio fere mihi boniſque viris aliis, quibus innotuit, probatiſſimus: tum etiam quia gaviſus ſum, oblatam aliquando tandem occaſionem ad te ſcribendi. quod officium ſeu negligentia, ſeu tædio temporum, ſeu denique fiducia conſtantioris amicitiæ, quàm quæ ſilentio damnum patiatur, hactenus intermiſi. Rogo peramanter, & ipſe meum hunc patrocinio, & favore complectaris: & quibus opus videbitur aliis commendes, imprimis vero juves, ut in contubernium recipiatur. Adſpirabit ad Magiſterii philoſophici Gradum. Dum hic egit, privata publicaque collegia philoſophica frequentavit, publicamque ipſe diſputationem phyſicam habuit. Confido geſturum ſe promotione veſtra & commendatione non indignum. Æ-

ſtate ſuperiori ad Juſtinianas Bongarſii notas auctarium aliquod adjeci, quod habebis à me, ſi tanti eſt, occaſione proxima. nam hunc ſtudioſum onerare nolui. Genealogici quoque tomi apud Clariſſ. Dn. Rauſcherum ut ſis memor, oro. V. 12. Nov. 1631.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Salutem & Amorem perpetuum.

CLariſſ. & Excellentiſſime Vir, Amicorum certiſſime. Quia non dubito, quin, ut ſæpè ſcribis ad D. Grotium, ita occaſione nundinarum veſtratium comodiſſimè poſſis, ideò haſce meas tuis haud gravatim includendas mitto: quibus Eclipſeos ☽ quæ hoc autumno contigit, obſervata nunc demum communico, quia citius non fuit opportunum.

Alte-

Alteras ad fratrem, Genevam curandas, haud alia lege addo, niſi ut per mercatores Sabaudos, abſque ullo gravamine tuo liceat: ſin verò emanſerint, flammis eas audacter aboleas rogo. Quantum ad juniorem meum ex vitrico fratrem, Joh. Wilhelm. Sikium, equidem indignabundus reſcivi, quod tecum diverterit. Fecit hoc, crede mihi, me prorſus inſcio; alias abſque literis non dimiſiſſem. Perſuaſit vero mihi, ſe de voluntate comitis ſui per Baſileam hinc recta profecturum. Feciſti tu quidem, pro ſolita humanitate, quaſi mei conſcii cauſa, liberaliſſime: quo nomine perpetuum tibi ſumus obligati: verum erubeſco tamen propter adoleſcentis temeritatem. Cumque alia ratione hactenus gratum animum declarare datum non ſit, lubentiſſimus recepi ad

 com-

commendationem tuam Heinmannum, proque illo non fidejuſſi modo apud Oeconomum contubernii, ſed nunc etiam ſolvo, poſtquam ille nudius tertius hinc diſceſſit, plane à ſperata pecunia ſua deſtitutus. Quantum ex converſatione illius æſtimo, videtur honeſtiſſimus juvenis, atque diſcendi cupidus: optarem ipſi ſumptus pro ulteriori continuatione cœpti ſtudii. Deniq; recordor quod olim cujuſdam operis D. Remi Quietani *mentionem fe-ceris*, de motu Lunæ ac melioribus tabulis, edendi. Quoniam igitur in ſimili argumento jam diu laboro, noſſe percuperem, an ille abſolverit, aut quidnam circa latitudines novi afferat? ego enim, qui totum ſuper obſervationes proprias hujus triennii fundo, inopinatam reperio in nodis exorbitationem, tam enormem,

mem, ut ſummè mirer, Tychoni non animadverſam. Faciunt autem hæ temporis difficultates, & bellici metus, ut aliquantò ſegnius nunc procedam; quando direptione unica tot noctium vigiliæ mihi perire poſſent, quod Omnipotens clementer avertat, nosque omnes porrò, inprimis Te, chariſſimum mihi caput, cuſtodiat ab omni malo. Amen. Dn. Mœſtlini ſenioris, qui nuper obiit, piis manibus hiſce diebus à me parentatum eſt; ſuperavit 81. æt. annum, ſi excuderint hæredes, videbis exemplum. Vale. Dab. d. 27. Decembr. exeuntis an. 1631. Tubingæ.

Wilh. Schickartus Matth. Bernеggero Sal. & bonam valetudinem.

CLariſſ. & Excell. Vir, Domine Fautor ſingulariſſime. Quod iterum oculis labores, invitus audio,

cilè conjicio, te lucubrationum intemperantiâ id tibi malum accerſere. Obſecro mî optime, ſi tibi ipſi parcere nolis, parce tamen nobis, quorum intereſt amicum habere diuturnum; parce poſteritati, ad quam ſpectat fructus tui viſus. Cæterùm quòd jam ocellos tuos, fortaſſis lippitudine adhuc teneros, fatigo, cauſa eſt Grotius noſter, de quo nuper mihi retulit Golius, in novas redactum eſſe anguſtias, ut neſciat, ubi nunc *deliteſcat. Significat* tamen id adeò obſcurè, ut ex literis non intelligam ſatís, cur, vel quomodo. Tu igitur ſi quid certius de fato viri, multò melius meriti habes, fac ego quoque reſciſcam. Equidem angor ejus cauſa, & neſcio quid animus præſagiat: Servet DEUS optimum virum, vel altero miraculoſæ liberationis exemplo. Si Lute-

Lutetiæ non verſatur amplius, aut clanculum tamen, præſtaret epiſtolam meam proximis nundinis tuæ curæ obtruſam, interiiſſe prorſus. Dn. D. Habrechto ſalutem datâ occaſione. Abs quo diu jam expecto Galilæi macularum ☽ obſervationem, vel ſumptu meo depictam, vel commodatò ad paucos dies mittendam, ſi venalis aliunde non poteſt impetrari, quod multò gratius foret. Vale, ac pretioſum theſaurum viſus tui ſollicitè cuſtodi. Deproperab. Tubing. d. 11. Febr. ann. 1632.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

VIrorum Eximie. Hac modo hora Pariſienſis auriga mihi reddidit ampliſſimi viri Eliæ Diodati litteras, cum incluſo Gaſſendi tractatu aſtronomico ad te curando. Nolo gaudia

tua, quæ percepturum inde certo ſcio, morari diutius, quantum in me quidem eſt: ſed an tabellarium ſtatim inventurus ſim, infeſtis circum hanc urbem itineribus, ambigo. Si quid reſpōdere placet, & mihi tranſmittere, ſedulo curabitur, ut Lutetiam (quo veredi ordinarii ſingulis ſeptimanis hinc ire non ita pridem cæperunt) recte perferatur. Etiam ad Grotium literas, in domum ejus, quam habet Lutetiæ, probe curatas non dubita: iſthinc forſan ab uxore porrò miſſæ ſunt in Belgium, ubi nunc Grotius agere dicitur, à parentibus admodum ſenibus, poſtremum eum videre cupientibus advocatus: ab æmulis autem, quorum ſcelere hactenus ereptum patriæ tantum decus, indigne (niſi fama mentitur) habitus. Vivit in contubernio meo Joannes Freinshemius, ingenii

nii rariſſimi juvenis, à quo ſcriptum Regi Sueco panegyricum dignum exiſtimavi, quem tu, quem ampliſſimi viri, Beſoldus, Lanſius, Rauſcherus, officioſe meo nomine ſalutandi, legeretis. Optimi noſtri Mœſtlini p. m. parentalia avidus expecto. V. 22. Martii 1632.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Sal. & Obſervantiam.

EMinentiſſime Vir, Amice honoratiſſime. Quas tu ſuperiori Martio ſatis citò ad me deſtinaſti epiſtolas Gaſſendi de viſo ſub ☉ Mercurio, eas nudius tertius demum ab hoc ipſo tabellario accepi, tàm diu in carcere Bockenhoferiano detentas. Accepimus una D. Freinshemii Panegyricum, pro quo Ampliſſ. Viri Beſoldus, Lanſius & Rauſcherus, viciſſim ſe gratos fore promittunt: at-

que ego quidem ſcriptoris in hâc juventâ, ingenium & judicium ſupra ætatem, admiror atque exoſculor. Si quando in patriam redux, nobiscum fortè tranſibit; optarem ejus mihi alloquendi copiam dari. Cæterùm D. Gaſſendo reſpondere cogito, & hanc nobilem obſervationem (cujus tot ſeculis iſta prima fuit occaſio) ad uſum Aſtronomiæ publicum traducere, limitando inde ac emendando quod in motu ☿ ſuperfuit hactenus erroneum. Significo id meum propoſitum D. Diodato incluſis literis, quas Tuæ curæ, quanquam invitus ac timidus, obtrudo. Scire autem abs Te pervellem, quo ſtatu D. Remi tabulæ verſentur? & ipſe ubi locorum agat? quâ opportunitate poſſit epiſtola deferri ad eum, ſciſcitatura quædam hujus ſtudii. Vale feliciter Vir Clariſſ. Dab. d. 9. Julii, an. 1632.

Matth.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

GRatias ago de recte curatis ad me Keppleri litteris. Mea enim, qui pro ipſo & hic & apud Baſileenſes ſpopondi, ſcire plurimum intererat, ubi moraretur. Annum enim & eo amplius, nihil quicquam audivi de eo, ac ne de Doct. Bartſchio quidem: de quo ſi quicquam tibi conſtat, fac quæſo ſciam. Gratias item ingentes de Gaſſendicis tuis, quæ ampliſſimo Lingelshemio, & præterea uni alterique amico talium curioſo mirifice placuerunt. Velim nihil tuorum poſt hac non ad me mittas. Ego viciſſim (etſi de meo vix poſſum, ſaltem de alieno, ſi quid tibi gratum cognovero, liberalis ero. Florum propediem habebitis, à Freinshemio contubernali meo adornatum. Etiam Venatoris noſtri panegyri-

cum Gruterianum hic habes, quem per te communibus amicis, Beſoldo, Lanſio, Rauſchero, Flaydero diſtribui vult Lingelshemius ipſeque Venator, à quibus ut & à me, iidem vos plurimum ſalvete, perpetuumq; ſtudium, obſequium ac fidem vobis promittite à toto illo veſtro B. Scr. 15. Oct. 1632.

Matth. Berneggerus Wilh. Schikarto.

VIr Clariſſime, fautorum amicorumque princeps. Elias Diodatus Pariſiis nuper ad me miſit Syſtema Copernicanum Galilæi de Galilæis, Italice ſcriptum, & anno ſuperiore Florentiæ excuſum, rogavitq; nomine autoris, ut id Latine convertam, quo liber Italis modo ſcriptus, eruditorum omnium lectioni pateat. Quod autem ad me potiſſimum,

mum itur, id eſſe cauſſę ſcribit, quod ante quadriennium in Galilæi manus, neſcio quo reddente, pervenerit interpretatio Latina tractatus ipſius Italici, de Inſtrumento proportionum, quam ante hos 20. circiter annos confeceram, eademque non diſplicuerit: unde ſpem conceperit, me in eadem hac interpretatione nec invite, nec infeliciter eſſe verſaturum. Ego vero, cum quia vix propriis, nedum alienis tractandis ſufficio, tum quia in hoc ſtudii genere numquam ultra mediocritatem fui progreſſus, & ea ipſa mediocritas per 20. hos annos, dum alia tracto, in nihilum eſt redacta, per invitus, nec niſi ea lege condixi meam operam, ſi te τρίβωνα talium exorare queam, ut à me verſis exactiſſimam illam judicii tui limam cenſuramque commodes. Id ſi abs te,

quæ tua in Diodatum, in me deniq; benevolentia eſt, obtinemus, faxo prima quavis occaſione partem aliquam, & deinceps per intervalla alias aliasq;: niſi forte mavis totum una opus expectare: quod vix hac hieme, licet omnes ſubſeciuas horas impendero, abſolvere licebit. Malim omnino per partes mittere. Fac ſciam, quid fieri velis. Nudius tertius accepi tractatum tuum de pareliis, plane tuum & Schickarto digniſſimum. Non potui mihi temperare quin incluſum litteris ad Ampliſſ. Lingelshemium, doctrinæ tuæ æſtimatorem tranſmitterem. Ita cum ipſe caream exemplo, rogavi Dn. Heugelium, convictorem & amicum meum (quem tibi ſtudiosè commendo) ut alia duo iſthic mihi comparet. De pecunia placet omnino quod ſcribis, per Dn. Demlerum eam pecuniam ad nos trajici:

Salus

Salus à Dn. Lucio &c. 19. Auguſt. 1633.

Wilh. Schickartus Matth. Bernegger o S.P.

EXcellentiſſ. Dn. Berneggere, Fautor Amiciſſime. Summoperè lætor, Galilæam verſionem tibi oblatam eſſe ac receptam, quem ex Inſtrumenti proportionalis editione conſtat, in utroque ſtudio, & Matheſeos & Italico, feliciter verſatum. Utinam ocio æquè abundares! matura tamen quantum licebit: Quamvis autem tenuitas mea nihil monere poſſit, quod acies tua non pervideat ante, feceris tamen omninò gratiſſimū, ſi curioſitatis explendæ cauſâ, & levandi deſiderii, ſubinde miſeris fruſtillatim eas paginas, quascunq; typographus exſcripſerit quovis tempore: Valdè enim talia videre geſtio! Incipe tantùm

citò

citò quantumvis non continuè pro-
gredi detur; ut ex principio cernam,
quale ſit opus reliquum; quod hîc
nunquam viſum eſt, quia Italici libri
parcius ad nos importantur, quàm
Gallicani. Nolo enim nunc te ſci-
ſcitando fatigare, an merè ſit Aſtro-
nomicum? Theorias Planetarum
tradens, vel Copernicanum ſaltem
fundamentum, experimentis novis
dioptricis ſtabiliat? num ſchemati-
bus, numeris, & demonſtrationibus
inſtructum? hæc multò compendio-
ſius me docueris, mittendo impræſ-
ſæ verſionis particulam: impreſſæ,
inquam, non ſcriptæ manu, quam
periculo viarum exponere foret
impium. Porrò librum de veritate
tuâ curâ probè redditum, accepi
cum gratiarum actione, atque in-
tervenienti fortè D. Lanſio, interea
pellegendum dedi; erat enim ejus
cogno-

cognoſcendi avidus: Ubi recepero, ac legero ipſe, ſcribam ad D. Diodatum, quid inde profecerim. Deniq; quod Ampliſſ. Dn. Lingelshemio, meum nomen quavis occaſione cō-mendas; facis quidē amicè; ſed multò ſupra meritum meum: unde tacitum pudorem incutis, ut ſpei ſuſtinendæ diffidam. Vale, ac ſignifica prolixius de Angelico libro, cur vel quomodo Diodatus miſerit? & an ipſi cum Authore intercedat notitia; num ejus fortè auſpiciis Lutetiæ ſit recuſus. Dab. Tubing. d. 29, Auguſti, ann 1633.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickardo S.P.D.

PEcuniarium, de quo ſcribis negotium totum arbitrii tui facio hoc lubentius, quod certo ſciam, te pro amore ac benevolentia, qua Kepplerianos & me proſequeris, acturum

omnia

omnia circumſpecte prudenterque. Alioqui de fide Dn. Heigelii non dubito: nec neſcio, parentes ejus eſſe in re lauta: metuo tamen, ne mora ſolutionis aliquando longior intercedat, neve partitio illa ſummę nonnihil incommodi ferat. Sed ipſum Heigelium audies, quem ad te remiſi, ſtatuesq; pro re nata, & pro arbitrio tuo. Galilæum, jam bis rogatus ab ampliſſ. Lingelshemio, (qui totus Copernicanus eſt) miſi nuper ad eum Heidelbergam. Ut primum recepero, habebis à me pagellas aliquot, & deinde per hiemem fruſtillatim alias aliasque, quandoquidem, id quod valde lætor, adeò benevole prompteque cenſendi laborem in te recepiſti. Et de libro, deque altero illo Anglicano, quæ ex me quæris, ex ipſius Diodati litteris rectius cognoſces, quarum cum du-
plex

plex exemplum ad me miſerit, alte-
rum hiſce incluſum tibi tranſmitto
retinendum ſi placet, & ſi Gallicæ
linguæ peritus ipſe non es, interpre-
tandum à Dn. Beſoldo, vel à D. Lan-
ſio, quos viros ampliſſimos ut ex me
reverenter & officioſe ſalutes oro.
V. 5. Sept. 1633.

*Wilh. Schickartus Matth. Berneg-
gero S.P.D.*

PRæclariſſ. Dn. Berneggere, Fautor
honoratiſſime. Gratias ago pro
Diodati literis. Jucundiſſimum fuit
ex ipſomet cognoſcere fatum Gali-
læi, ſimul & Anglicanum iter ſu-
um, ac de illuſtri authore libri. Vi-
deo ipſum alias per Genevam ad me
ſcripſiſſe, quas non redditas eſſe ſci-
to. Gallica intelligo ipſe, ut & Ita-
lica & Hiſpanica, jam à decem an-
nis. Nihilominus DD. Beſoldo &
Lanſio

Lanſio exhibui legendas, talium curioſis. Qui ambo Te perquam officiosè reſalutant, enixè orantes, velis verſionem eam bono publico maturare. Sic feliciter vale; Vir CL. Dab. Tubing. d. 19. Sept. an. 1633.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

IN transferendo ſyſtemate Copernicano non multum ultra quartā partem progreſſus ſum, ob alias curas & moleſtias, quæ fatali quadam infelicitate ſtudia mea ſubinde remorantur. Sed poſthac feſtinandum erit magis, admovente ſtimulos Diodato noſtro, qui ſcribit, in Italia librum proſcriptum eſſe; autorem Sienæ honorario carcere, domo Epiſcopi cuſtodiri. Proſcriptionis formulam unà mitto; ſed remittendam, extat in fine novorum. Vide quò ſtulti-

ſtultitiæ devenerint iſti purpurati patres. Sed non patiemur, opus præclarum bono publico ſubtrahi. Rogo itaque, ne de promiſſa cenſura correctioneque translationis ſententiam mutes. Ex quo Gallicæ copiæ in has oras venerunt, itinera minus infeſta ſunt, quam dum Sueci, ſeu potius Suecienſes, omnium potirentur, prædatores ipſi terræ, quam à prædatione vindicare debebant. Forſan ergo mittam nunc unâ cum ſcripta, tum impreſſa, quatenus converſa ſunt. Deliberabo tamen, cum enim hoc unicum exemplar Germaniam viderit, nec aliunde recuperari poſſit, nolim amiſſionis periculum adire. Pro neceſſitudine mutui amoris, & humanitate tua, facile obtineri abs te patieris, ut emendes omnia liberrime. Videbis ſubinde hæſitantem, ac nonnun-
quam

quam turpiter impingentem, imperitia aſtronomica, quam & initio leviter didici, & per tot annos magnam partem dedidici, niſique tu te Schickartum hic præſtes, non tam exiſtimationi meæ (nec enim patiar, ut me interpretem eſſe publice conſtet) quam autori ipſi, & ejus operi male conſuletur. *Præcedentia ſcripſi ante pluſculos dies: interea diſcuſſa res eſt de pecunia illa. Nam civis ille, & ſi partem pecuniæ jam numeraſſet, de reliqua tamen non ſatis idonee cavet. Itaque rogo juvet nos in inquirenda alia quâdam occaſione. Studioſus ille D. Bartſchij affinis, ad quem pecunia ſpectat, ingenti deſiderio eam deſiderat.* Hortante D. Clutenio noſtro auſus ſum mittere Galilaica. Sed nova illa, in quibus proſcriptio libri, jam non in promptu ſunt mihi, venient proxime. Quæſo te, magne vir, Galilæum

læum curæ habeas. D. Diodatus ſcripſit ad me nuper; Galilæum ante aliquot ſeptimanas priſtinæ libertati reſtitutum, Florentiam ad ſuos ſalvum rediiſſe. Debebam converſa denuò inſpicere multa enim ſunt, quæ jam exercitatior, meliu intelligo. Tabellario ſatisfeci, nec vel obolum deinceps abs te hoc nomine velim exponi. Pro cenſura & labore gratus ero. V. 15. Febr. 1634.


Wilh. Schickartus Matth. Bernegg-gero Sal. & Obſervantiam.

VIr Clariſſ. Amicorum Eminentiſſime. Galilaica fuerunt mihi viſu lectuque multò ſuaviſſima. Stupui tamen ad primum aſpectum, quod præſentiſſimo viarum periculo ſis auſus, tam rarum exemplar committere. Nimirum vicit amor mei (quem agnoſco & gratum habeo)

beo) ſed non debuiſſes curioſitatis meæ causâ periculum illud adire; jam enim conſequitur ut angar, donec reſciſcam probè redditum eſſe, ac tabellarii ſingulos greſſus interim ſolicitâ mente metiar. Itaque moneo, ne in cæteris idem audeas: Maximè cum ad editionis ornatum, tenuitas mea nil conferre poſſit. Nam quod cenſuram prætexis, id nimis benignè, adeoque tuo more facis. Quis enim ego ſum, ut te doceam Italicè? Sus Minervam! *nimia*, & propemodum incivilis modeſtia tua facit, ut magnitudinem ingenii proprii & neſcias, & ſcire nolis. Sed crede mihi & aliis de Te multò præclariùs ſentientibus, nec mendacii argue publicam famam. Cavillator meritò videri poſſem, ſi quicquam in eruditâ translatione tuâ carperem. Nec dubito quin ea loca, quæ ſignis

ſignis notaſti, relectione alterâ, cum poſt intervallum, velut ad aliena, fueris reverſus, ipſe nullo negotio animadvertas: quale v. g. iſtud ſtatim in præfatione: *il remetter ſi ad aſſerir*, &c. quòd, continere ſe ab aſſenſu ſtabilitatis terræ, & apprehendere contrarium, velut ex quadam opinatione Mathematicâ, non inde naſcatur, quaſi non habeatur exploratum, quid alii ſenſerint, ſed &c. Item frequens illud: *additar*: pro indigitare, quaſi digito demonſtrare. *Vaghezza*: pro lenocinio. *Sciocchezza*: pro nugis. *Palco*: ein balck nach dem teutſchen: niſi vereris in Palatio Sagredi magnificè ſtructo, ullas apparuiſſe trabes. Ecce verò quàm feliciter luſoriam phraſin: *cambiar le carte in mano*: aſſecutus es? quam ego ſine tuo indicio nunquam intellexiſſem. Quid mul-

tis opus? Tu is Berneggerus es, qui tibi ſufficis ipſe, non indigus cujusquam Schickardi. Unicum tamen, ſi in authentico ipſo mutare fas eſſet, cuperem ſchemata ſignificantius pingi: verb. gr. fol. 6. ſolidas lineas, ut ex umbrarum ratione appareat evidentius trina dimenſio, quæ in plano monogramate intelligitur difficulter. Imò hæc potius dico, ne nihil dixiſſe, aut non legiſſe videar.



Quod verò tu quereris, variis te occupationibus toties in diverſum trahi, hoc idem evenit mihi quoque crebrius quàm vellem, & nunc quoque, ut & hac de cauſa ſim brevior. Vale feliciter Vir Clariſſime. Tubing. d. 3. Martii, an. 1634.

Matth.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S. P. D.

REcte Galilaica recepi, utinam obeliſcis & correctionibus tuis facta meliora, ſed nimirum pro meritis notis immeritas laudes remittere voluiſti, ut importunum flagitatorem ita ſubmoveres. Non tamen abigi me patiar: verum aut literis ſententiam tuam de difficilioribus locis exquiram: aut forſan ipſe aliquando, ſi per otium & hæc tempora licebit, ad te veniam, ſatisfacturus diuturno deſiderio meo, coram appellandi complectendique hominem omnibus mihi caritatibus antepoſitum ac anteponendum. Pecunia Keppleriana valde me anxium habet, & magis bonum illum ſtudioſum, cui tandiu carendum ea eſt. varia tentavimus: nihil ſuccedit.

Ad extremum eo deveniendum videtur, ut tabellarius hic adferat: majoris tamen autoritatis & ſecuritatis cauſſa hæc erit adornanda ſcena, ut nobiliſſimus Grunthalius veſter ad D. Clutenium noſtrum, ſuo nomine, ſed noſtro, ut par eſt, periculo mittat. Audio vias ſic ſatis eſſe tutas. Eſto tota res arbitrii tui. Poterat nos comode ſatis juvare Sellingerus apud D. Pregitzerum: ſed mater ejus neſcio quæ cauſſatur: nec placet feminæ moroſæ ſupplicare nimium. Memini promiſiſſe proſcriptionis Galilaici libri exemplum, illud hic habes, cum commodum erit, remitte, & vale. 14. Martii, 1634.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Sal. & Obſervantiam.

CLariſſ. D. Berneggere, Amicorum prime. Quam tui ſiſtendi ſpem feciſti,

fecisti, vide obſecrò ut verè impleas. Nihil enim quicquam gratius mihi contingere poſſe, hominis amiciſſimi præſentiâ & complexu, certiſſimè credas velim. Nam niſi tu facere anticipâris, ego ipſe non ſemel decrevi, ocaſione viſitationis anniverſariæ, Freüdenſtadio ad urbem veſtram excurrere, tui ſolius viſendi & potiundi gratia, at ſola militaris petulantia & itinerum pericula retinuerunt hactenus. Nunc tamen appetente Paſchate iterum, per aſſignata 26. oppida ſuperioris partis Ducatus, oberrare opus habeo. DEUM veneror, ut me ſalvum reducat. Interea Tu virorum diligentiſſime, Galilaica urge, qui ſolus tibi ſufficis, nec me adjutore indiges. Dolerem verò ſi ſeriò ſcripſiſſes, quaſi te importunum ſubmovere cuperem. An igitur quicquam abs te mi-

hi accidere poſſe importunum putas? nondum me planè noſcis, ſi hoc tibi perſuades. Libro potiſſimùm parci volui, & adhuc volo; non mihi; cum exemplar ſit unicum & irrecuperabile: dubia verò per epiſtolas communicare liceat, quarum interitus non ſit æquè damnoſus. Offendent verò illæ ab hinc 6. ferè hebdomatibus, aut non domi, aut occupatiſſimum, donec indicatum illud ſcholaſticæ viſitationis munus explevero. Vale & Relationem Gallicanam, à grato animo recipe. Tubing. ult. Mart. 1634.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero Amorem & Officia.

EXcellentiſſ. Dn. Berneggere, Amicorum prime. Poſtquam itinere ſeu potius diſcurſitatione meâ defunctus, domum ad quietem redii, æquum

æquum eſt, ut Te, præſertim hâc occaſione datâ, ſalutem: ſimul explorem, quo ſucceſſu editio Galilæicorum fruatur? nihil enim interea remiſiſſe poterit, nota tua, & conſtans induſtria. Tum ut ſignificem, quàm benè meritus ſit filius Tuus, qui nunc Pariſiis agit, de Principibus Würtembergicis & reliquo comitatu, cum urbem ignoti adirent: Referunt enim ad octo vel decem leucas obviam iviſſe, item ædes conduxiſſe, ac præſtitiſſe alia humanitatis officia; unde ipſi plurimùm ſe debere, lubentes fatentur, & gratè prædicant, Crede, Grünthalium quavis occaſione, Tibi tuisque viciſſim ſerviendi, paratiſſimum eſſe. Quod pecuniam attinet, ſpero ab illo lanio, cive veſtrate, dudum rectè tranſportatam: Plura non ſuccurrunt. Vale feliciter, atque D. Frenſ-

hemium noſtrum amicè ſaluta. D. 17. Maii. 634.

Matth. Berneggerus Wilh. *Schickarto S.P.D.*

GRatum fuit è proximis tuis litteris cognoſcere de filio meo Caſparo, qualibuſcunque ſuis officiis in gratia poſito apud Illuſtriſs, Principes veſtros, eorumque comites. quorum ut benevolentiam humillimis obſequiis deinceps quoq; retinere laboret, eum datis heri literis hortatus ſum: & una miſi ad Dn. Diodatum, apographum epiſtolæ tuæ, quæ ad ipſum ſpectat. Vir egregius urget & inſtat de Copernicani Syſtematis editione, neſcius, quibus undique moleſtiis & curis, premar, ut nec dum libri medium vertendo ſuperare licuerit, nihilominus impreſſionem ordietur typographus,

graphus, ut primum reſponſum ab Elzevirio, qui diſtractionem operis ſuſcipiet, obtinuero. Specimen hic habeto. Deliberamus, quotnam exemplaria ſint excudenda. Mihi 600. ſufficere videntur, ut in materia paucorum ad guſtum faciente. Quæſo fac nobis conſilii tui copiam. Eſt enim res adhuc integra. Diodatus ſubmiſit nuper Pauli Antonii Foſcarini Carmelitani, ex Italico converſum à ſe tractatum, in quo ſacra ſcriptura cum hypotheſi Copernicana conciliatur. Eum Galilæo vult adjungi. Neſcio an per noſtros Theologos id liceat. Si tutum erit, mittam proxime legendum tibi cenſendumq;, additurus unà nodos quoſdam verſionis, in quibus expediendis me juves. Jam enim exſcribere non vacabat. Kepleri Lunaris Aſtronomia manu ſcripta (non-

dum enim edita eſt, quod ſciam) anne iſthic parari poteſt? Freinshemius noſter in Gallia nunc agit, nuper factus Secretarius Regius, cum nil tale ſperaret aut ambiret. Miſit ad me Regii diplomatis exemplum. Iſti homines ingenia rectius æſtimare norunt nobis, qui fere noſtrorum incurioſi ſumus. Lanſius pecuniam rectè curavit &c. 30. Maii 1634.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S.P.D.

SAlve plurimùm Excellentiſſ. mi Berneggere. Qui has fert, M. Caſp. Benignus Beeg, Limpurgicus, affinitate aliquâ mihi conjunctus; Academiam veſtram celebrem, & in eâ Te, lumen fulgidiſſimum videre geſtit. Si ergò ſemel aut iterum hominem alloquio digneris, habebit, unde ſibi gratuletur, nec itineris pœnitere

nitere poſſit. Cæterum, quo ſtatu Galilæica verſentur, intelligere aveo. Fac obſecrò, ſi per valitudinem & infinitas occupationes tuas alias licebit, ut hoc autumno prodeant. Inaudivi etiam aliquid de honore, à Chriſtianiſſ. Rege Galliarum tibi habito: ſi vacat recitare, me quoque illius gaudii conſcium redde; ut certius Tibi gratuler, & DDn. quoque Collegas meos exhilarem, qui neſcio unde hauſtum, primi ad aures meas detulerunt, ac ipſimet plenius reſcire geſtiunt. Vale, & porrò etiam feliciter rem gere. Scrib. 3. Junii, an. 1634. Tubingæ. Dn. Frenshemio plurimam & amicam ſalutem.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

CLariſſime vir, amicorum eximie. Si κοινὰ τὰ τῶν φίλων, etſi horũ nu-

mero me cenſes, facile rationem putabis, quantopere me perculerit ille caſus, cujus indicium & epiſtola (recte, nec dubita, duranda per filium nunc Metis agentem) & vero publica fama fecit. Equidem nunc demum intelligo, poſtquã noſtra quoque δυστυχήματα nos exercent, quam parum adhuc in communiendo adverſum fortuita pectore profecerim. Itaq; ad παραμυθίαν aliorum ineptus, ipſe tali officio potius indigeo. Quamquam Aretius ὁ πάνυ, μικροθυμίαν hanc meam, exempli diverſitate quotidie caſtigat, & in hac ſua fortuna gnavum ſeſe fertis illius porticâs alumnum præſtat. niſi quod ἡ σύνευνος ejus, aliquanto ſequius pro ſequiore ſexu. Quid ſi illũ faceremus noſtrum, & in cathedram Hermogenicam exceſſu Magiſtri nuper χηρεύουσαν evehemus? Fortaſſe fiet, & ego

τυμὲν

τυμὸν μερ☉ allaborabo, niſi mature ἐπάνοδον ei conficitis. Tunc vero credis, in hac ἀκαταστασίᾳ publica privataque, Galilaica mea procedere poſſe? procedunt tamen, etſi remorantibus ſubinde curis avocamentisq; languide ſatis ac lente. Sex folia mitto ſpecimen; niſi tabellarii diſceſſus anteverterit, additurus & ſeptimum, quod hodie excudetur. Deodatum puto Lutetiam Geneva rediiſſe. Mitto ei epiſtolæ ſcriptæ ad Lucam exemplum, & excuſo ſilentium tuum. Ampliſſimis nobiliſſimisq; Viris Beſoldo & Lanſio ſalutis officioſæ & obſervantiæ meæ perpetuæ interpres eſto. Valete viri magni, & rebus voſmet ſervate ſecundis. Scr. Arg.
6. Octob. 1634.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

CIvilis hæc Enyo non intercludet, uti ſpero commercium noſtrum litterarium. Quid enim ſanguiſugis illis cum inani ſterilique charta negotii. Habes ergo hic quæ in Galilæo ſequuntur, eo fine miſſa, ut ſeveriſſimam cenſuram, ſi modo vacaverit, adhibeas. Nam & quicquid in verſione peccatum eſt, & quæ materia ipſa dicenda videbuntur amplius, ad finem libri reſervo, & valde deſidero, mihi præbeas hanc occaſionem, in tali ſcripto quod in plurium manus veniet, affectum in te meum, vel potius judicium, publicè teſtandi. Tertiam partem fere typographus abſolvit, ego vertendo vix ultra dimidium ſum progreſſus, & valde vereor, ne pro fatali mea infelicitate improviſum

quod-

quoddã impedimentum interveniat, quo minus ante vernas nundinas opus ad umbilicũ producam. Niſi cognitas haberem occupationes tuas graviſſimas, auderem petere, ne graveris è poſtremis foliis nonnulla vertenda ſuſcipere. Fortaſſe tamen in hac ἀκαταστασίᾳ rerum, quieſcentibus aliis ſtudiis talem operam animi cauſſa non invitus ſuſceperis. Salutem plurimam ab Aretio noſtro. Οἱ τοῦ Ἄχεροντος mirari ſe ajunt, quod ejus nullam in ὁμολογίᾳ veſtra σὺν τοῖς αὐτοκρατορικοῖς rationem habueritis. Fortaſſe noſter jam fieret, nec occaſio deeſt, niſi metueret, ne prorſus hoc modo ſpe omni reditus excideret. Vos autem ita cautos fore confidit, ut non exuatis interim hominum amicorum affectum. Vive egregie & in amore mihi reſpondere perge. 6. Novembr. 1634.

Wilh. Schickartus Matth. Bernegero S.P.

CUm Tuas proximè redderet iſte Tabellarius, mi Optime ac Amiciſſime Dn. Berneggere, tunc perturbatiſſimus eram recenti funere uxoris meæ, ipſo illo die proh dolor! defunctæ: Itaque neſcio quem in librum illas mœſtus ego indiderim, ut nunc licet aliquandiu quærens, nondum tamen reperire poſſim. Quantùm verò argumẽti recordor, invitabas me, pro inſigni tua erga me benevolentia, in ſocietatem præclari laboris tui. Verùm erras longè, ac nimis mihi tribuis; minimè ſum is, qui abſolutiſſimis illis quicquam addere queam. Si tamen omninò captas occaſionem, amoris erga me teſtandi publicè; age ubi quietior ero, & excuſa hæc, ſi cum attentione relegero, annotabo quædam, non ſa-

nè.

nè verſionem, ſed rem ipſam attinentia: Inde ſi quid excerptum appendere velis, utaris arbitrio tuo. Nunc adeò perplexus ſum, & nupero luctu, eoque gemino; uxoris pariter ac filiæ; & infinitis aliis curis, tùm publicæ calamitatis noſtræ, tùm emigrationis meæ privatæ, à Medicis imperatæ mihi, ob ſuſpicionem contagionis, ut planè ineptus ſim, ad ullam ejuſmodi cogitationem ſeriam: Condona igitur, & eouſque moram largire: Interim ſi quid Amicis, aut etiam Fratri meo (à quo nullum jota toto tempore recepi) ſcribere occaſio detur; fac hoc unum ſciant, urgeri me adverſis fatis undique ſimul irruentibus; & ſignifica facturos optimè, ſi quid veterum ſtudiorum ad me perſcripſerint, unde conſolationem unicè ſperem. Expecto plura de impreſſis,

quam-

quamvis vetera nondum ſolverim, hac una ratione mœrori meo remedium habiturus. Hæc raptim. Vale Vir Excellentiſſime, idemque mihi præmultis chariſſime. Tub. ult. Nov. 1634.

P. S.

HOc reliquum paginæ, ne vacet, abſcindi, & tuis incluſum Cl. Dn. Diodato, quando commodum erit, mitti optem: ut intelligat, accepiſſe me non modò pridem Illuſtr. Baronis Herberti eruditum librum de Veritate, ad illumque reſpondiſſe, ſed & hactenus ejuſdem Diodati curâ, D. Gaſſendi obſervationem Eclipſeos nuperæ Lunaris: in qua tamen haud intelligam, quî fiat, ut omnia tempora meis poſteriora ſint, cum tamen ille locus meo ſit occidentalior, & pauciores horas numerare debuerit. Sanè oportet inſignem

gnem lapſum accidiſſe homini diligentiſſimo, de cujus fide alioquin dubitare non ſinit exploratus candor. Faceret ergò ſe dignum ac veritati profuturum, ſi denuò inſpectis adverſariis, errandi occaſionem venaretur. Sed de hoc ad ipſum aliàs prolixius, nunc minime vacat. Etiam ad Illuſtr. Herbertum novas ſubmittam, ſi primas illas non benè redditas cenſet. Gaudebo enim tali prætextu crebrius appellare poſſe virum, perſpicacitatis nomine maximi mihi habitum: abrumpo.

Wilh. Schickartus Matth. Berneggero S.P.D.

SAlve Amicorum integerrime ac fidiſſime! Poſtquam tabellarius vos adiit, interea ego iterum filiâ ſum orbatus, ut nunc mihi viduo, ex omni copiâ liberorum ſoli duo minimi

nimi ſuperſint. Ah quàm acerbè fero lamentabile hoc fatum! itaque ineptus ſum ad omne ſtudium aliud, ſolam moriendi artem nunc meditans. Cumq; neſciam, quid de me îpſo futurum ſit, ſignifico id fratri Lucæ, ut in eventum, orphanorum ille redux curam gerat. Obſecro igitur mî Berneggere, ac fortaſſis hoc extremum te precor, cura etiam has per filium reddi. Si ſupervixero, erò gratus: ſin præivero ad meliores, conveniemus tamen ibi ſtatu beatiori, ac æternum lætabimur. Miſeret autem me tot conatuum meorum, tot vigilatarum noctium, tot ſemiperfectarum meditationum: Nec habeo inter diſcipulos, cui poſthumam editionem credere poſſim. Utinam DEUS meipſum tantiſper ſuperſtitem ſinat! Interim, quantum permittit immenſus mœror, ſolatium capto ex

ſuaviſſi-

ſuaviſſimis tuis Galilæicis, pro quorum tàm benevola coḿunicatione, ſum arctiſſimus debitor tuus. Miror quomodo labori tanto par ſis ferendo: ſub quo ſuccumberem ego millies. Augeat tibi DEUS hanc virtutem, & jubeat eſſe longævum! Vale feliciter, & benè rem gere. Deprop. Tubing. d. 8. Decemb. an. 1634.

Matth. Berneggerus Wilh. Schickarto S.P.D.

GAlilaica cætera hic habes &c. niſi quod præfatiuncula mea adhuc deeſt quam conficere inſuper habui, tum quia Francofurtanus mercatus hoc vere nullus habitum iri dicitur, tum præcipue quia valde deſidero judiciū tuum de hoc ſcripto ante cognoſcere. Davides ille Lotæus, cuius in præfatiuncula appendicum extat mentio, noſter Deoda-

Deodatus eſt, ad quem proximas tuas altero, poſtquàm allatæ ſunt, die tranſmittendi occaſionem ſum nactus. Venerandus Senex D. Hitzlerus, cuius ſuaviſſimâ conſuetudine mirificè recreor, amantiſſimè te ſalutat. V. & ignoſce brevitati materiæ, quam penſabo longioribus propediem. 15. Martii 1635.

Wilh. Schickartus Matth. Bernegero S.P.D.

PRolixas ad Te, Clariſſ. Vir, Amicorum intime, nuper ſcripſi; Cum ſe Pucherus iterum offerret. Adiunxi & iterum alias nec breviores, ad Illuſtr. D. Peireſium, D. Gaſſendum, D. Diodatum, cæterosque noſtros, tua fide curandas: verùm ante latoris abitum, ſubitò ſum domo mea exturbatus, lamentabili morte ſororis, quam ex Herrenbergæ

gæ cineribus profugam, illuc recepi. Cum enim ipſa communi lue corriperetur, vidi meam quoque vitam periclitari, niſi fugerem illicò. Ita cum puero, quem ſolum habeo, emigravi ſtatim, & hactenus in montanis Albæ oberravi miſerabiliter, ut vitam quomodocunque redimerem. Rogo igitur, ſi qua occaſione potes, quod poſſe ſpero, velis me apud prædictos dominos excuſare de ſilentio, per iſtam novam calamitatem meam; ſimul gratias agere Cl. D. Diodato, pro libello de Calido nativo rectè tradito; tum vellicare aurem D. Gaſſendo, ut comunicet nuperam Eclipſin, quam nobis hîc invidit pluvium cœlum. Niſi vererer ædium mearum, inprimis bibliothecæ, direptionem; nec id minus à cive avido & invido, quàm præſidiario milite; proficiſcerer omninò hinc

hinc aliorſum, & ſecederem in Helvetiam vel Genevam, quando adhuc licet, ante imbres hyemales. At incertus conſilii ſum, neq; mihi conſto in iſtarum curarum ancipiti fluctuatione. Clementer invitavit ipſe Illuſtris D. Petriſcius, nec terreret viæ longinquitas, obſtat unus ille omnia interim amittendi metus. Ita toto ferè anno hactenus nunquam licuit mihi eſſe ſecuro, aut ſtudiis attentè animum applicare. Durabo tamen DEI gratiâ, & ſpe meliorum hæc præſentia boni conſulam. Vale feliciter, & pro nobis DEUM exora.

Scripſi Duslingæ, pago præfecturæ Duslingenſis, in meo Pathmo. d. Michaëlis, an. 1635.

FINIS.

Literæ Nicolai Fabricij, Domini de Peireſc ad Matthiam Berneggerum, de Schickardo.

Monſieur

LA funeſte nouuelle du decez de feu Monſ. Schikard, que Monſ. Deodati nous a fait ſçauoir de voſtre part, nous a grandement affligez Monſ. Gaſſend & moy, & tout ce qu'il y auoit de plus curieux en ce quartier de deça, ou ſa vertu & ſon erudition ſinguliere eſtoient en veneration tres grande, & comme du premier homme du ſiecle. Pour moy je vous puis aſſeurer, que la perte de feu mon Pere, qui eſtoit la plus ſenſible que j'euſſe eu de ma vie, ne m'auoit pas touché plus auant, que celle de ce grand perſonnage, que je n'honoroys pas moins, que mon

propre Pere, & ne l'euſſe pas moins volontiers ſeruy, ſi j'euſſe peu, ne auec moins de reuerance & charité. Car je m'eſtois deſuoué tout a luy du meilleur de mon coeur, & ſans reſerue de rien, qui me peuſſe eſtre loiſible. Regrettant infiniment de ne luy en auoir peu bailler des preuues conformes a mes voeux. Et puis que de ſa Famille il ne reſte plus que ſon Frere Monſ. Lucas, qui vrayſemblalement ſera heritier de ſa vertu, & de ſa rare doctrine, comme de ſes moyens, & de ſa Bibliotheque, pour auoir eſté dreſſé de ſa main, vray ſemblablement auſſi & auoir les meſmes inclinations aux Matematiques, a ce que nous pouuons juger de ſon obſeruation d'une Eclipſe a l'Emboucheure de la Garomne dont fait mention le bon homme en ſa derniere lettre du 29.
Septem-

Septembre, dont vous nous auez daigné communiquer la coppie ; Je voudrois bien ſçauoir, quand il ſera retour chez luy, & s'l y auroit aucun moyen de le ſeruir, & de continuer en ſa perſonne, ce que noſtre malheur ne nous a pas permis de pouuoir faire en celle de ſon digne Frere. Vous ſuppliant de nous en vouloir tenir aduertis par l' entremiſe de Monſ. Deodati, a qui je ne ſuis pas moins acquis que vous, & par qui je ne manqueray, de vous faire tenir tout ce peu que je pourray recueillir de nos amys, ſur le ſuject & a l' aduantage de ce grand Genie de la nature, que Dieu auoit faict naiſtre en nos jours, & qui meritoit bien, d' eſtre mieux recognu, qu'il n' a eſté. Mais je ne ſçay ſi nous pourrons rien contribuer qui ſoit digne de l' Eminance de ſon

merite. Principalement en ce chetif pays, qui eſt ſi ſterile. Il faudra pourtant y faire ce peu qui ſera poſſible, ſur l' aſſurance que vous, Monſieur, & ces autres Meſſieurs de Tubinge & principalement Monſ. Lanſius aggreerez la bonne volonté pour le ſupplement, qui y deburoit eſcheoir. Dans un ſi grand malheur & ſi ineſuitable ne nous ayant pas eſté une petite conſolation, d' apprendre, que Monſ. Lanſius aye pris le ſoin, de faire mettre le ſcellé aux plus precieuſes reliques des oeuures de ce grand perſonage, & qu' il s'en ſoit rendu depoſitaire, a fin que la poſterité en puiſſe un jour auoir la participation, qu'il luy en donnera ou procurera de bonne foy, du Sr. Lucas Schikard Frere & heritier du defunct, ou de ſon unique Fils, toſt ou tard. De quoy vous nous oblige-

obligeriez grandement, de nous donner un mot d' aduis en ſon temps, & s'il y a eſperance de rien voir en jour de ce que le grand homme auoit ſi dignement ebauché, tant ſur le mouuement de ſon Mercure, & ſur des nouelles inuentions de rectifier encore mieux celuy de la Lune, qu'il n'auoit encor eſté, comme ſur les autres nobles penſées, ou il s'eſtoit exercé. Entres lesquelles il m'auoit autresfois faict mention d' un ſien traicté de *Coloribus*, comme ja mis au jour, ſi je ne me trompe, & par luy ſupplée. Dont je voudrois bien ſçauoir s'l ſe pourroit auoir une coppie, que je payerois bien cherement, d'une ſi bonne main, que la ſienne. Et ſi les lettres qu'il auoit eſcriptes & deſtinées peu auant ſon decez, tant a Monſ. Gaſſend, & a Monſ. Deodati, qu' a

moy, ſe retrouoyent encores chez luy parmis ſes papiers, ce nous ſeroit une ſinguliere conſolation a la grande perte, que nous auons faicte en ſa perſonne. Car je voudrois bien ſçauoir ſon aduis ſur des propoſitions de l'optique aſſez extraordinaires, que je luy auois faites, & dont je n'eſpere gueres d'aſſez bonne reſolution d'autre que de luy, par la grande cognoiſance qu'il en auoit acquiſe & par eſtude & par des experiances non communes, & des notices tres rares, qui luy eſtoient toutes particulieres a luy ſeul entre ceux de ſa profeſſion. S'il y a moyen d'auoir un Indice de toutes les Oeuures qui ſont ſorti au jour de ſa main, ou qu'il auoit dejâ miſes par eſcrit, ou projectées & tracées en quelque façon, vous nous feriez

grande

grande faueur de la nous procurer, & toutes les memoires & inſtructions de ſa vie qui ſe pourront auoir. Enſemble de la qualité des eſtudes, & des inclinations du Sr. Lucas Schikard ſon Frere, autant neantmoins que faire ſe pourra ſans vous incommoder, ce que je ne voudrois pour rien du monde. Je n'ay jamais ſçeu ſi vous auiez reçeu une autre mienne depeſche, ou je m'eſtois diſpencé de vous eſcrire, par occaſion de rendre le meſme deuoir a feu Monſ. Schikard, & de vous en faire l'addreſſe. l'interruption du commerce eſt ſi grande que ce ſera grande merveille ſi elle ne s'eſt perdüe come beaucoup d'autres. En quoy vous auriez gaigné du ſoulagement & deſcharge de perdre du temps a les lire, & a des importunes couraces que je vous donnois,

 mais

mais i' y regreterois le retardement des offres que je vous faiſois és lettres de mon humble ſeruice, & des proteſtations de l' obligation que je vous ay auec le public de la peine que vous auez daigné prendre à faire la verſion de ce bel ouurage de Monſ. Galilée, dont toute la poſterité vous ſera redevable. En tout cas vous aggreerez que je vous en reitere les compliments, comme je le faits à cette heure trez affectueſement, que je vous rende mes humbles graces d' un Exemplaire que Monſ. Deodati m' en a deſparty de voſtre bonne adueu, dont je voudrois bien vous pouuoir rendre quelque digne reuange par mes ſeruices, & qu' il vous pleut m'honorer de vos comendements, en choſe ou j'euſſe moyen de vous teſmoi-

teſmoigner la veneration que je vous porte & l'authorité que vous aurez toujours &c.

A Aix ce 31. *Mars.* 1636.

Clariſſimo Illuſtriſſimoque Viro,

NICOLAO FABRICIO,

D. *de PEIRESE, ABBATI AQVISTRIÆ,*

& in Suprema Aquenſi Curia

Conſiliario:

GVILLELMI SCHICKARDI

MANIBUS

Apotheoſis

Nec non

PETRI GASSENDI

Mathematica.

A Balthaſare Viaſsio Maſsilienſi.

***

MANIBVS unde darem SCHICKARDI nobile carmen,
Ipſe diu toto quærebam culmine Pindi,
Atque illic circùm deſerta cacumina vidi
Aonidas ſiluiſſe Deas, marcere corymbos,
Sertaque Daphnæa quæ fecit in arbore Phœbus,
Nullũ murmur aquis, nullusq; Aganippide tota
Rivus erat, luctusque omnes exhauſerat undas.
Horridns aſtiteram: unde dolor? quæ funera tantũ
Auſa nefas? unde ipſa tacent delubra? meamque

Iam

Iam longum cohibent ignava ſilentia mentem?
Non aliter ſtupuit Parnaſſi turba Dearum.
Quàm cum poſt cæſos cœlum Cyclopas Apollo
Fugit, & Amphryſium paſtor depavit ovile.
Hæc ego dum mœſtus circũ Laureta querebar,
Et quateret timor attronitum, citharæq; ſonorũ
Diſcordaret epos, vultus demiſſa modeſtos
Calliope, qualisve Orpheo pereunte Linove
Aſtitit, interque fletus affata, Receſſit
Turba receſſit, ait, Sociasque vocavit ad aſtra
Vranie, factura locum ſidusque, petenti
SCIKARDO ſuperos. illo non digniùs alter
E terris aſtrorum obitus ortusque retexit;
Sidera Tubingæ tenuit, placidusque Bootes
Cernendas iſti geminas eduxerat Arctos:
Vtraque rectorem coluit, qui norat utramque
Inter quicquid adeſt; ſeu cum demiſſus ad auſtrũ
Inviſam nobis Helicen ſpectaret ad Indos,
Sive per Arcadii glacialia ſidera plauſtri
Librato magnete polum contingeret Vrſæ.
Ah! videas quàm mœſta dolet, ſua lumina cõdit;
Et vellet Scythico iam Parrhaſis æquore mergi;
SCIKARDI indignata obitus terrasque relictas.
Sed melior gaviſa poli pars excipit illum,
Illuſtratque jubar flammasque & luminâ miſcet.
Circumſtant bis ſex Zonæ radiantia ſigna,
Hinc princeps Aries, hinc ultima ſidera Piſces,
Candẽtemq; choro cingunt & fulgure plaudunt.
Huic quoq; junguntur ſepteno lumine flammæ
Errantes blandeque virum Cyllenius ales
Ambit, & inſolito titubans Cypris effera cornu.
Officioſa cohors Muſarum ſidera verrunt;

Et de Gnoſſiacæ ſerto fulgente coronæ
SCIKARDI cinxere comas, Citharamq; dedêre,
Quave feras monteſque Orpheus Hebrumq; trahebat.
Huic adeò quod ſi totus lætatur Olympus,
Non minus abſentem luget perterrita tellus,
Pieriæque domus: illas ſacro entheus œſtro
Implebat, totusque Helicon reſonabat ab illo.
Sive inter carecta, biblosque exordia Nili,
Pyramidum tumulos, Babylonia tẽpla, Tribuſque
Quæreret Iſacidûm, Libanique in vertice palmas:
Seu caneret prima ductos ab origine Perſas,
Sceptraq; Achemænidûm Ptolomæorumq; tiaras,
Non huic vulgari ſudata eſt pulvere fama.
Supremum tentavit opus mens dedita curis
Socraticis, humiles prorſus deſueta labores.
Tradidit Actæo quod porticus ampla Lycæo,
Quæque Cleanthææ docuerunt atria turbæ,
Liberiorq; Epicuri animus, numeriq;, Atomique,
Quicquid & antiquis monſtravit Pallas Athenis,
Huic recluſa patent: ſcivit quod ſcire neceſſe eſt,
His qui nil non ſcire volunt: Linguasque diſertus
Diverſosque ſonos uno promebat ab ore.
Hunc audivit Arabs, Byzantinusque loquentem.
Hunc Syrius Græcusq; recens, Cyprusq; vetuſta.
Clara Palæſtinis immiſit lumina chartis,
Hebræos apices & puncta adſcripta papyro
Interpres Phariâ, recutitaque dogmata ſolvit.
Audiri toto potuit SCIKARDVS ab orbe,
Aut ve ſuo totus potuit fari orbis ab ore.
Hæc memorat dum Muſa mihi, dedit aura fragorem,

Intre-

Intremuitque ſolum, ſubitusque excanduit aër,
Et numen Lux illa fuit: talaria plantis,
Virga manu, petaſusque comis, hæc ſigna quod eſſet
Mercurius, fecere fidem. Satis, ô ſatis aſtris
SCIKARDVM quæſiſtis, ait: patefecit ad illa
Huic GASSENDVS iter, non eſt via Lactea Divis
Quàm ſibi trita magis. quodcunque relucet Olympo.
Et quodcunque Noti Boreæque interiacet axes,
Seu quà Mygdonio ſurgens à cardine Titan,
Seu pelago defeſſus equos ubi mergit Ibero,
Luſtravit; ſuperosq; animum deduxit ad orbes;
Quid Canis Erigones, & quid portendat Orion,
Pleïades, caudaque minax flagrante Cometes;
Novit, & adverſum damnat vero omine ſidus.
Tranſtulit in terras ignota prioribus aſtra,
Et motus, ortusque novos, obitusque dicavit
Sideribus; latuitque ſuum fax nulla laborem.
Ille ego qui fueram primis incognitus annis,
Nec viſus circum Solis luceſcere vultus,
Illic me radio vidit trepidante retrorſum
Ire viam, motusque meos cum Sole trahentem.
Quas non in magno ſpeculatus Apollinis orbe
Proſpexit rerum facies? obſtruſaque Lucis
Semina, & umbratos cœleſtis imaginis ignes?
Ducere quàm meliùs potuit Phaëtonte quadrigas
Solis, & igniferos moderari juſtiùs axes?
Non tam conſtanter Clyties flos gratus adhæret
Flammis Phœbe tuis, qui ſe noctuque dieque
Vertit, & aurato radiorum paſcitur imbre.
Dignior haud portat cœlum cervicibus Atlas:

Illud mente tenet, vaſtum decurrit, & intus
Totus adeſt: illic diſtantia climata terræ
Metitur Solisque vias, Lunæque labores,
Cum minuit reparatq; jubar: mox tendit ad oras
Quas bona temperies zonarum mulcet, & illas
Quas flam̄æ perduntq, gelu quoq; pervius intrat,
Huic propè ſunt, quæcunque abſunt. nam limite certo
Diſtinguit quoscunq; Gradus: ſeu mœnia quærat,
Sub quo Phocæi jaceant celeberrima portus,
Cum Cancri chelas juvenum de nomine menſis
Tangit, & incipiunt longæ decreſcere Luces,
Quod ſub Alexandri monſtrarat Pythias ævo.
Nil intentatum ſublimes liquit ad artes
Mens divina viri: tam certis nulla figuris
Dextra abacū ſcripſit, radiumq; immiſit ad aſtra:
Quod meliore fide pateant, huic ſidera debent:
Cui tantum licuiſſe polus miratur; & iſto
Certior Vraniæ cœli didiciſſe magiſtro
Optaret ſortes. Parcæ ſic fata loquuntur;
Sicque Dryas, Delosque ſacris bacchata Sibyllis.
Finierat, ſubitoque oculis exceſſit: & unà
Calliope, quæ cum lentè diſcederet, inquit,
FEIRESIO referas, quæ mox narravimus: ille
Plura tibi dicenda dabit, cui noſter Apollo
Parnaſſum, Lauros, Tripodumque oracula ceſſit,
Et quicquid latuit facilis natura recluſit,
Ingenio ſuperata viri. Vir maxime, tardum
Hoc opus, & triduæ vix evigilata Camænæ
Carmina ſume favens: olim tua ſacra revolvam.
Cum Tripodas Laurosq;, tibi quas ceſſit Apollo,
Audenti maiora dabis: tunc ſidera dicam

Comu-

Occiduo referant montana cacumina rupes:
An ſic diluvium valles extendit, & altos
Deucalionæus montes erexerit imber.
Fortè etiam referam (niſi nos antiquior ætas
Arguat) an Terræ referantur deſide cœlo,
Efficiantque dies, annosque, & ſidera mutent,
Nosque rotet vertigo Soli; vel fluctuet undis.
Pumiceo librata natans ſub pondere tellus:
An ſubter chaos undarum, & telluris abyſſos
Veſta regat clauſos ſpatiis ingentibus ignes,
Vnde ſuos trahit. Ætna rogos flammasq; Veſevus:
Anne ferant alios Lunaria corpora mundos.
Credimus hæc? ſed erunt forſan reſerata futuris.
Vidimus Antipodas, quos ſecula prima negabant.
Humanos ſemper potis eſt natura docere,
Fæcundosque ſinus, cauſasque aperire latentes.

In Obitum

Viri Clariſſimi atq; Eruditiſſimi

WILHELMI SCHICKARDI

Threnus.

IBimus exequias, ſed debita dona ferentes,
Debita dona tibi. nec erit, qui funera fletu
Non faciat, SCHICKARDE, tibi, queruloque
ſuſurro,

SCHI-

SCHICKARDE ô noſtri decus, & laus maximæ
ſecli.
Solvimur in lacrymas mæſti, mens ſaucia luctu
Obſtupuit, tanto nec lamentabile carmen
Sufficiunt Muſæ Aoniæ infandoque dolori.
Sidera ſcire juvat quod te variantia caſus
Diverſos hominum, & ſtellarum noſcere curſus:
Iuxta Palæſtinis haud jam bene cognita verbis,
Et leges Solymo dictas, pia jura, Tyranno,
Cur, bone, victuris mandaſti in ſecula chartis:
Actaq; Choſroïdum, & ſanctorum nomina Regũ,
Quid juvat æternis Perſarum condere Faſtis,
Si, SCHICKARDE, jaces? nec te, quæ plurima,
virtus,
Aut pietas texit? nimium facientia tela
Torquet atrox fati vis, telaque neſcia frangi.
Invidit terris tantum decus, addidit aſtris
Cognatis, noſtramque vicem, non luce carentes
Flere jubet, tuta tandem ſtatione locatos.
O te felicem ſortis! fortuna peracta eſt
Iam tua, nos adverſa manet civilibus undis
Immerſos, ſed, noſtra volent cum fata, ſequemur.

Samuel Petit.



SCHICKARDE ô noſtri decus, & laus maximæ
ſecli.
Solvimur in lacrymas mæſti, mens ſaucia luctu
Obſtupuit, tanto nec lamentabile carmen
Sufficiunt Muſæ Aoniæ infandoque dolori.
Sidera ſcire juvat quod te variantia caſus
Diverſos hominum, & ſtellarum noſcere curſus:
Iuxta Palæſtinis haud jam bene cognita verbis,
Et leges Solymo dictas, pia jura, Tyranno,
Cur, bone, victuris mandaſti in ſecula chartis:
Actaq; Choſroîdum, & ſanctorum nomina Regũ,
Quid juvat æternis Perſarum condere Faſtis,
Si, SCHICKARDE, jaces? nec te, quæ plurima,
virtus,
Aut pietas texit? nimium facientia tela
Torquet atrox fati vis, telaque neſcia frangi.
Invidit terris tantum decus, addidit aſtris
Cognatis, noſtramque vicem, non luce carentes
Flere jubet, tuta tandem ſtatione locatos.
O te felicem ſortis! fortuna peracta eſt
Iam tua, nos adverſa manet civilibus undis
Immerſos, ſed, noſtra volent cum fata, ſequemur.

Samuel Petit.



SCHICKARDE ô noſtri decus, & laus maxima ſecli.
Solvimur in lacrymas mæſti, mens ſaucia luctu
Obſtupuit, tanto nec lamentabile carmen
Sufficiunt Muſæ Aoniæ infandoque dolori.
Sidera ſcire juvat quod te variantia caſus
Diverſos hominum, & ſtellarum noſcere curſus:
Iuxta Palæſtinis haud jam bene cognita verbis;
Et leges Solymo dictas, pia jura, Tyranno,
Cur, bone, victuris mandaſti in ſecula chartis:
Actaq; Choſroïdum, & ſanctorum nomina Regū;
Quid juvat æternis Perſarum condere Faſtis,
Si, SCHICKARDE, jaces? nec te, quæ plurima, virtus,
Aut pietas texit? nimium facientia tela
Torquet atrox fati vis, telaque neſcia frangi,
Invidit terris tantum decus, addidit aſtris
Cognatis, noſtramque vicem, non luce carentes
Flere jubet, tuta tandem ſtatione locatos.
O te felicem ſortis! fortuna peracta eſt
Iam tua, nos adverſa manet civilibus undis
Immerſos, ſed, noſtra volent cum fata, ſequemur.

Samuel Petit.



SCHICKARDE ô noſtri decus, & laus maxima ſecli.
Solvimur in lacrymas mæſti, mens ſaucia luctu
Obſtupuit, tanto nec lamentabile carmen
Sufficiunt Muſæ Aoniæ infandoque dolori.
Sidera ſcire juvat quod te variantia caſus
Diverſos hominum, & ſtellarum noſcere curſus:
Iuxta Palæſtinis haud jam bene cognita verbis;
Et leges Solymo dictas; pia jura, Tyranno,
Cur, bone, victuris mandaſti in ſecula chartis:
Actaq; Choſroïdum, & ſanctorum nomina Regũ;
Quid juvat æternis Perſarum condere Faſtis,
Si, SCHICKARDE, jaces? nec te, quæ plurima virtus;
Aut pietas texit? nimium facientia tela
Torquet atrox fati vis, telaque neſcia frangi.
Invidit terris tantum decus, addidit aſtris
Cognatis, noſtramque vicem, non luce carentes
Flere jubet, tuta tandem ſtatione locatos.
O te felicem ſortis! fortuna peracta eſt
Iam tua, nos adverſa manet civilibus undis
Immerſos, ſed, noſtra volent cum fata, ſequemur.

Samuel Petit.